CAROLI GEORGII IACOB
AA. LL. M., PH. DR., PROF. PORTENS.

COMMENTATIO

DE USU NUMERI PLURALIS

APUD POETAS LATINOS

QUA MEMORIAM ANNIVERSARIAM
INAUGURATAE ANTE HOS CCXCVIII. ANNOS
SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS
A. D. I. M. NOVEMBR. A. MDCCCXLI.
PIE CELEBRANDAM
INDICUNT
ET
AD RECITATIONES ET ORATIONES DISCIPULORUM
EX OMNIBUS CLASSIBUS ELECTORUM
AUDIENDAS
INVITANT
RECTOR ET COLLEGIUM
SCHOLAE REGIAE PORTENSIS.

NUMBURGI
TYPIS C. A. KLAFFENBACHII.
MDCCCXLI.

1841

Accidit nescio quo casu, ut, quum ab initio huius saeculi artes humanitatis, in quibus omnes inde a renatis literis intelligentes viri summam ingenii vim exstitisse arbitrabantur, maxima cepissent incrementa et saluberrimas, quas egerunt, radices ad omnem vitae cultum late diffudissent, ut, inquam, poetae Latini in tanto, quo ad optimarum literarum studia concurrebant homines, ardore, si non omnino negligerentur, at certe modice a viris doctis exornarentur et multo parcius, quam in superioribus saeculis, tractarentur. Neque in libris grammaticis, quorum nostra aetas est feracissima, poetae Latini ad regulas linguae confirmandas vel ad usum dicendi illustrandum pro dignitate adhibiti sunt, ita ut tironibus subsidia saepe deessent, quibus libri Ramshornii, Zumptii, Reisigii, Ellendtii aliorumque abundant atque eos egregie adiuvant, qui purum et incorruptum scribendi genus assequi student. Ablegandi sunt igitur discentes adhuc ad librum Chr. Dan. Ianii, Ernestinae disciplinae alumni, de arte poetica Latina, anno septuagesimo quarto saeculi praegressi editum, qui vero liber hodie iacet fere contemptus et in paucorum manibus est. Sed immerito. Etenim ut concedamus, inesse plura verbosius enarrata neque suo ordine disposita, requiri etiam multa, quae a philologis recentioribus ad causas certas subtiliter sunt revocata, nullum tamen librum novimus (testem facimus A. G. Langium *)), in quo, quae tironibus de elocutione poetica addiscenda sunt, clarius exposita et plenius collecta et in suos locos digesta invenias. Quae virtutes aliquando insigne accipient doctrinae et acuminis incrementum per Frid. Lübkerum, qui in annotationibus Horatianis, nuperrime editis, ad Carm. I. 1, 3. p. 9. et ad III. 3, 12. p. 333. spem fecit laetissimam grammaticae Latinae poeticae, a se conscribendae.

Itaque desideratur nostro tempore Grammatica poetica Latina, minime tamen egregia ad talem librum conscribendum desiderantur praesidia. Nam haud mediocriter his

*) In praefatione Crustulorum (Lips. 1826.) p. 5. Nam hunc virum, dum Portam suam ornabat, interpretem elegantissimum poetarum Latinorum fuisse, uno ore gratissimi testantur discipuli.

literis viri profuerunt, qui singulorum poetarum curarunt editiones, Heynius, I. H. Vossius, Passovius, Handius, Weichertus, Heindorfius, Iahnius, Fr. Iacobsius, C. E. Chr. Bachius, Wagnerus, Obbarius, Th. Schmidius, Paldamus, Dissenius, Orellius, Silligius aliique, in quorum libris multa sunt bene observata, multa scite digesta, multa auxilio grammaticae sanioris recte constituta. His adiumentis aureus adnumerandus est Tursellini liber, in quo praeter alias quibus eum Handius pro exquisita sua doctrina locupletavit, id magna laude dignum est, quod poetarum Latinorum plurimam habuit in rebus grammaticis rationem. Sed haud scio an nullus liber in nostra aetate poetarum Latinorum intelligentiae maiorem attulerit utilitatem quam Philippi Wagneri Quaestiones Virgilianae. In his enim ille usum loquendi Virgilianum sermonisque consuetudinem tam accurate pertractavit, vim singulorum vocabulorum tam subtiliter explanavit et rem criticam tam diligenter factitavit, ut, quemadmodum Virgiliana carmina inter Romanos norma habita sunt et lex ceterorum poetarum, ita Wagnerus futuris Virgilii interpretibus viam monstraverit et muniverit, quae ad veram carminum interpretationem perduceret.

Hae igitur virorum doctorum observationes ut in promptuarium Latini sermonis poetici comportarentur et ad modum praestantissimi Lexici Sophoclei, quod Ellendtio debemus, digererentur, res visa est admodum necessaria, ut iam Langius l. c. significavit. Cui negotio ut ipse pro viribus satisfacerem, periculum feci in Quaestionibus Epicis, ante hos tres annos editis. Quam operam quum iis viris, penes quos talium librorum est iudicium, probatam vidissem, ego, hac scribendi opportunitate oblata, in eodem argumento pergendum esse constitui. Locum igitur elegi de pluralibus apud poetas Latinos, de quibus qui distinctius et uberius disputaret, nondum inventus est.

Communis est et pervagata vox, poetas Latinos numero plurali ita usos fuisse, ut vel doctrinae exquisitioris esset signum vel elegantiae documentum vel animi elatioris testis. Hoc plurimi Batavorum philologi pronuntiaverunt, ut Burmannus ad Valer. Flacc. II. 110. et Ruhnkenius ad Ovid. Her. p. 23. 103. ed. Friedem. *), tum inter nostrates

*) Contra plures e Batavis, quorum doctrinam et multiplicem lectionem, ut par est, maximi aestimo, in universum observandum esse docuerunt, magis poeticum esse singulari uti quam plurali, etiam ubi de pluribus agatur, ut Heinsius et Ruhnkenius ad Ovid. Her. I. 24., Burmannus ad Ovid. Am. III. 8, 43., Broukhusius ad Propert. I. 2, 3. et 11, 9. De qua mutatione recte Burmann. ad Ovid. Her. I. 24.: magis vero poeticum esse singulari uti quam plurali, tum verum est, si plus significet ille numerus quam pluralis. Cfr. omnino Handius in: Lehrbuch des latein. Styls p. 281. et infra cap. III. §. 10. not. Sed de loco Ovidiano Her. I. 24. non assentior Haudio: vid. cap. II. §. 5. Eandem rem nuper Henr. Düntzerus attigit in libro: Kritik und Erklärung der Oden des Horaz, qui propter acumen et eruditionem admodum est commendabilis, docens (p. 385.), numerum singularem a poetis, ubi unitatis notio sit primaria, non raro poni vel praegresso plurali. Exempla haec attulit: Horat. Ep. 2, 64. Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido. Carm. III. 3, 14. indocili

is, qui ingenio et pulchri venustique sensu maxime pollebat, Christian. Gottl. Heynius, in commentariis in Virgilium et Tibullum, ut Aen. I. 463. X. 79. XII. 60. 799. 876. et Tibull. I. 5, 7. II. 1, 20. III. 4, 61., denique qui ex illius disciplina prodierunt, Rupertius, I. A. Wagnerus, Doeringius. Neque Dissenius in annotatione Tibulliana (ut ad I. 2, 98. 7, 5. II, 1, 33) orationem plurali sic posito magis poeticam factam esse dicere dubitavit. Quae omnia licet satis probabiliter essent disputata, non defuerunt tamen, qui, quum interpretes illam vim magis sensibus percipiendam quam verbis exprimendam esse censuissent, illam subtilius expositam vellent, immo talem orationis amplificationem rem putidam atque otiosam iudicarent. Sane res paullo altius erat repetenda, ut e singulorum verborum collocatione et tota sermonis conformatione luculenter in singulis locis perspiceretur, quantae in illo numero appareant dicendi veneres, quam mirifica poetarum ars, quanta singulorum vocabulorum cum tota compositione consensio, quantus denique color habitusque vere Romanus. Primus igitur fuit C. E. Chr. Bachius, nisi fallor, qui rationes recentiorum grammaticorum secutus ad Tibull. I. 1, 28. de numero plurali breviter sententiam suam exposuit, et, pluribus annis interiectis, ad Ovid. Metamorph. IV. 591., V. 363., VII. 74., XIII. 82., 196., XV. 61. Eadem laude qui decorentur digni sunt Th. Schmidius et L. S. Obbarius in explanationibus Horatianis, ille ad Epp. I. 3, 8. et II. 1, 102., hic in editione epistolae secundae libri primi ad V. 8. p. 25. et in Supplem. Annal. Philolog., qui Iahnio et Klotzio moderantibus prodeunt, Vol. II. P. 1. p. 592. s., tum Phil. Wagnerus, qui in nonnullis Virgilii locis (vid. Ecl. IV. 49., Aen. I. 4., X. 79., XII. 60. 876. 799.) pluralia ex interioris linguae legibus breviter pro consilio suae editionis, sed praeclare interpretatus est. His add. Lübkerus in Explanat. Horatian. ad Carm. I. 7, 8. p. 84. *)

Iam qui de hoc loco copiosius disputare constituit, plures habet cautiones. Ac pri-

---

collo. 5, 20. tergo libero. Ovid. Fast. VI. 772. freno non remorante. Add. Virg. Georg III. 273. ore, quod Iahn. et Wagner. recte contra Vossium tuiti sunt. De locis prosaicorum, ut Cic. p. Mil. 29, 79. et de amicit. 4, 13., cfr. Hand. ad Stat. T. I. p. 221. et infra cap. 1. §. 4. fin. Sed non plane assentior Düntzero in loco Carm. II. 7, 10 (relicta non bene parmula) eamque explicationem puto simpliciorem, cuius patronus nuper Lübkerus exstitit in commentario Horatiano ad h. l. p. 241. s. Utrique tamen interpreti, et Düntzero et Lübkero, commune fuit studium, ut in Horatio a crimine timiditatis purgando eam viam ingrederentur, quam monstravit vir annis meritisque venerabilis, Fr. Iacobsius, in Script. Miscellan. T. V. p. 319 — 326.

*) Verba ipsa apponamus: „Wie der Pluralis überhaupt dazu diente, theils das Concretum im Singular in seiner öftern Wiederholung oder Vielheit zu bezeichnen, theils das Abstractum im Singular in einer bestimmten Zahl, mithin als concrete Erscheinung kenntlich zu machen — beide Begriffsverhältnisse werden grade in der römischen Sprache so genau gehalten — so wurde umgekehrt der Singular gebraucht, um die Vielheit der Vorstellung wieder zu *einer* Einheit zu verbinden, die Masse zu *einem* Körper zu sammeln.“ Cfr. ad Carm. III. 6, 6. p. 392.

marium quidem illius munus est, ut in regulis sermoni poetico obtrudendis parcior sit neve arctioribus finibus includat quae ingenium protulerit poetarum liberiusque genus dicendi. Contra alterum imminet periculum, ne suo iudicio nimium tribuat et pulchritudinis momenta magis sentiat quam ponderet omnique interpretandi negotio se defunctum putet, si, quae forte sint obscuriora, magnificis verbis in animos lectorum transfundere studeat vel uno alterove loco, cuius vana similitudinis specie decipitur, id confirmare, quod legibus grammaticae et rationibus logicae plane repugnat. Hoc quidem interpretandi genus, quo in saeculo superiore Germani philologi male apud exteros audiebant *), nostro tempore quum paucissimi tantum factitent, tum aliud bonis literis timendum est detrimentum ab iis, qui a lectione poetarum Latinorum non satis instructi et pravo quodam argutiarum grammaticarum studio, quod e reconditioris philosophiae mysteriis profectum esse gloriantur, abrepti caligine eos involvunt scriptores, qui perspicuitatis et claritatis sunt excellentissima exempla. **) Postponunt enim tales grammatici istis studiis investigationem orationis poeticae ususque loquendi et pro suo ingenio solos se sapere putant. Itaque egregia sunt verba Dissenii in commentariis Tibullianis I. 6, 56. p. 140.: „multa sunt apud scriptores, quae grammatica severior improbat, rhetorica vero et poetica ars et sensus pulchri docuit, peculiares singulorum locorum rationes sequens: quod discrimen qui ignorant et solis grammaticis regulis opera veterum explicari posse censent, in maximo errore versantur.“ ***) Neque negandum est, per tales interpretes, doctos quidem et

*) Batavorum iudicia de illa interpretandi ratione quem fugiunt? Vide quae de Ruhnkenio Wyttenbachius narravit vit. Ruhnken. p. 244. ed. Bat., (p. 198. ed. Lindem.) et ipsius Ruhnkenii ad Ernestium Epistolas in Opuscul. Vol. II. p. 689. et p. 733. ed. Friedem.

**) Vere Herm. Paldamus in Act. Philol. Darmstad. a. 1840. scid. 140.: „alle Ehre der rationalen Grammatik, doch auch sie kann aus zu grossem Streben rational zu seyn, irrational werden.“ Non dedecet grammaticum, immo inter eius virtutes a Quintiliano (I. 8, 21.) habetur, aliqua nescire. Cfr. quae Maur. Axtius in libro de gymnasiis et Realistarum, qui vocantur, scholis (p. 67. s.) vere et graviter scripsit.

***) Quod praeceptum viri doctissimi quum multis exemplis comprobari possit, tum iis confirmabitur pluralibus, in quorum interpretatione frustra desudamus, nisi ea e summo, quo veteres scriptores ferebantur, concinnitatis similiumque coniungendi studio explicamus. Ita iuncta legimus apud Tibullum II. 5, 53. concubitus et vittae et apud Ovidium Met. IX. 123. orbes paterni et concubitus. Tum apud eundem X. 190. violas et papavera, ubi vid. Bach., Her. V. 23. mea nomina et trunci et apud Sil. Ital. V. 673. obitus et cohortes, licet numerus plurativus prioris verbi fuerit ex insolentioribus. Huc retulerim vina in Virg. Aen. IX. 318. Nam vina i. e. vasa vini (ut recte Servius) ob vocabula pluralia, quae antecesserunt, posita esse arbitror neque in h. l. Thielio, intelligenti Virgilii interpreti, assentior. Alius generis sunt vina crescentia apud Stat. Theb. V. 209. et ib. X. 323. expulit ingens Vina cruor. Eiusdem concinnitatis studii apud Ciceronem exstare luculentissima exempla notum est. Vid. Orat. p. Sull. 9, 26., ubi Matthiaeus recte iudicavit operae scribendum esse, quum alia pluralia sint adiuncta. Pro Sest. 51, 109. honestates (quod infrequentius de omnibus, qui honoribus funguntur, positum est: cfr. infra Cap. I. §. 1. not.), aetates, ordines. Pro Rosc. Am. 9, 23. et pro reg. Deiot. 3, 8. foci patrii Diique penates. Alia exempla collegit Ellendt. ad Cic. de orat. III. 14. 53. p. 381. Cfr. Walch. ad Tacit. Agric. 31. p. 338.

in artibus philologicis probe exercitatos, haud raro literas antiquas in malam famam descendisse, neque tantum apud istos, qui earum sunt osores propter ignorantiam, sed etiam apud illos, qui hos scriptores animi causa lectitant iisque ita utendum esse volunt, ut discentium animi generoso antiquitatis sensu, ex purissimis nobilissimorum scriptorum fontibus hausto, imbuantur. Quod si omnes, qui in illorum scriptorum versantur interpretatione, ante oculos habuissent, sane actum esset de iniustissima illa criminatione, totam philologorum gentem in rimandis minutiis grammaticis omne tempus operamque consumere et plane negligere eam antiquarum literarum vim, quae maxime valet ad emendandos mores pulchrique sensum excolendum. Nam illarum virtutum optimae adiutrices studia humanitatis omni tempore habita sunt et ab iis, qui ea in scholis maioribus minoribusve profitentur, et ab aliis, qui — GUILELMUM HUMBOLDTIUM nominasse sufficiat — elegantia et dulcedine illorum tantopere erant capti, ut ea dulcissimum otii iudicarent pabulum et vel senes facti nunquam e manibus deponerent.

Inter hanc grammaticam et aestheticam, quam vocant, interpretationem ut medium tenerem, quod in proverbio beatis tribuitur, operam dedi. Inde natae sunt quatuor huius commentationis partes. Prima est eorum pluralium, quae a nominibus abstractis derivantur, in quibus magna est cum prosariorum scribendi consuetudine similitudo, altera ea continet pluralia, quae in vocabulis locorum, regionum aliarumque rerum naturalium inserviunt amplificationi. In tertia enumerantur pluralia, quae tum magnitudinem et gravitatem, tum praestantiam et pulchritudinem exprimunt. Quarta denique pars complectitur pluralia, quae in oratione indefinita variis de causis usurpantur, sive ut ostendatur qualis sit homo vel qua in conditione versetur, sive ut significetur obscuritas de consilio quaesita, sive res per prudentiam dissimulata, sive urbanitas quaedam et modestia dicentis. Quae ad hanc partitionem illustrandam e magna locorum copia apposui exempla (nam omnes locos congerere neque opus est, neque fieri potest), in his id potissimum spectavi, ut bona et provisa adesset exemplorum materies, qua, qui doctrinam de numero plurali apud scriptores Latinos in universum tractare atque totum hunc locum uberius illustrare velint, ita utantur, ut optimae literae, quas ex ingentibus spatiis, vix illis vindicatis, novitii quidam scriptores suarumque laudum praecones in exiguum gyrum compellendas esse clamant, ex hac scriptione aliquid capiant emolumenti.

Antequam ad haec singula progrediamur, paucis monendum est, nos de iis pluralibus, quae frequentissima sunt in oratione poetarum, non acturos esse. Huc referimus nomina herbarum, ut acanthi, aconita, croci, papavera, serpylli, thymi, violae, nomina frumentorum, ut avenae, hordea, leguminum, ut fabae, lupini, viciae, metallorum, ut aera, electra, orichalca, mineralium, ut sulphu-

ra, tum rerum naturalium, ut arenae, cruores, fumi, glacies, mella, musta, pulveres, vina, vites, denique vocabula partium corporis, ut cervices, colla, corda, corpora, nares, pectora, sinus, tempora, viscera vel vulgaris usus, ut carceres, currus, exuviae, foci, habenae, horti, inferi, lustra, manes, opes, phalerae, quietes, serta, sordes, spes, superi, tenebrae, valvae. Nam de his vocabulis et quae huius generis sunt in uberrimis commentariis iam superiori tempore exposuerunt I. G. Vossius, vir iudicio recto et industria singulari excellentissimus, in Aristarchi Lib. III. c. 37 — 45. T. I. p. 442 — 513. illius editionis, qua Förtschius magnam doctrinae et subtilitatis laudem sibi paravit, et Thom. Ruddimannus, cui nullus fere par fuit diligentia in colligendis Latinae linguae opibus, in Institut. Grammat. T. I. p. 139 — 148., quas in Germania Stallbaumius ὁ Πλατωνικώτατος repeti curavit. Post hos inter nostrates C. L. Schneiderus in Grammat. Latin. T. II. P. 1. p. 395. sq. idem argumentum accurate tractavit, tum Reisigius in Praelection. in Grammat. Latin., de quibus Fr. Haasius optime meruit, de his vocabulis p. 131 — 138. disputavit. Haec in initio commentationis meae commemoranda erant, ne res nimium notas iterum repetere aut sciens aliena surripuisse viderer.

Caput primum.

De pluralibus nominum abstractorum poeticis.

§. 1.

Amplificationis per numerum pluralem in oratione poetica Latina primam classem statuimus, quae vocabula abstracta complectitur. Horum est duplex genus: aut enim certae rei varia genera et rationes (Beziehungen) significant aut eandem rem in variis personis, locis, temporibus variam, ut in alia convenit aliud, ostendunt. Quae vocabula quum satis arcte cum prosariorum dicendi consuetudine cohaereant, pauca de his praemittere visum est, non ut omnia nova proferam vel exquisitioris doctrinae, sed ut vel tirones, a quibus haec legi volo, ea coniuncta inveniant et disposita, quae in pluribus libris non male quidem disputata sunt, sed singulorum modo locorum inserviunt explicationi. Enumeremus igitur primum vocabula abstracta plurativo numero dicta, quae ad plures pertinent et varia significant genera et rationes. Cic. Herenn. III. 16, 28. Sunt igitur duae memoriae (zwei Arten von Gedächtniss). Orat. I. 8, 30. voluntates. 31. religiones. II. 22, 74. naturis ut ib. 34, 145. III. 33, 132. magnitudines, cui comp. Philipp. XIII. 3, 5. regionum magnitudines. Fin. I. 8, 27. iracundiae, ut III. 21, 70. ubi male Goerenzius (contra I, 15, 49. Orellius singularem recte tuitus est). IV, 27, 75. omnes avaritiae (alle Arten von Eigennutz). V, 20, 55. aetatulae. Tuscul. III. 10, 22. mediocritates. IV. 2, 3. mentes ubi vid. Kühner. et ad V. 39. 113., IV. 6, 14. constantiae. Offic. I. 22, 68. fortitudines (cf. Roth. Exc. IV. ad Tacit. Agric. p. 112.). III. 16, 67. reticentiae i. e. reticentia singulorum s. reticendi variae rationes. Neque in orationibus Cicero eiusmodi pluralia vitavit. Catil. I. 7, 18. neces. Leg. Manil. 17, 51. auctoritates ubi vid. Matth., Rosc. Amer. 24, 67. et Parad. II. 12. conscientiae. Deiot.

14, 40. incolumitates. Sest. 51, 109. honestates.*) Planc. 24, 60. gloriae, ut Tac. Ann. III. 45. Sallust. Iug. 41, 7. ubi v. Kritz. Coel. 9, 22. potentiae. Verr. II. 14, 35. cupiditates et insaniae, ubi Acro: nove, sed proprie. V. 41, 107. in q. l. Zumptius recte scripsit: turpitudines. Aera singula apud Nonium (Cic. Fragm. T. IV. p. 1139. ed. Hal.) sunt: einzelne Posten in der Rechnung.

Alterius generis, quod actionem iteratam per numerum plurativum indicat, exempla sunt apud Ciceronem Tusc. I. 48, 116. clarae mortes ut 49, 116., Nat. Deor. III. 29, 72. comicae levitates i. e. levitas, cuius sunt plurima apud Comicos exempla. Rosc. Amer. 7, 19. cisia ubi vid. Becker. in Galli T. I. p. 225. De utroque dicendi genere plura contulerunt Heusinger. ad Cic. de Offic. I. 22, 15., 32, 2., Bremi et Otto ad Cic. de Fin. I. 8, 27., Olivet. Eclog. Cicer. p. 72., Kühner. ad Cic. Tuscul. IV. 2, 3., Weber. in: Lateinische Uebungsschule T. I. p. 187., Zumpt. Grammat. Lat. §. 92., C. G. Dietrich. in censura Antibarbari Krebsiani in Ephemer. Antiq. Darmstad. a. 1837. scid. 44., et, qui totum locum Ciceronianum subtiliter et copiose tractavit, Ellendt. ad Cic. de Orat. III. 14, 53. T. II. p. 378 — 381.

Eiusmodi structurae exempla historicorum latinorum libri suppeditant. Ita Livius VII. 3, 1. varietates annonae (wechselnde Preise). XLV. 30, 3. maritimae opportunitates. Cfr. Drakenb. ad I. 4, 9. et VI. 33, 11. Caes. de bell. Gall. I. 26. impetus (ubi vid. Schneider), IV. 16. occupationes reipublicae, ut c. 22., tum c. 38. siccitates paludum, ubi Schneiderus pluralem a rebus et locis, in quibus siccitas erat, ad siccitatem ipsam translatum esse docuit. Cfr. Held. ad Caes. de bell. civ. I. 61. et Herzog. ad eund. de bell. Gall. I. 38. Transeamus ad Sallustium. Catil. 14, 5. adolescentium familiaritates ibiq. Kritzius. 47, 2. liberae custodiae. Iug. 20, 8. praedae. 64, 6. res familiares et Kritzius ad utrumq. loc. et ad Catil. 50, 2. De usu Tacitino Rothius in Excurs. V. ad Agric. p. 109 — 117. egregie disputavit, e cuius exemplis haec depromamus: Ann. I. 74. miseriae temporum, audaciae hominum. 55. insectationes. III. 26. coercitiones. Histor. II. 27. amoenitates villarum. Agric. 22. opportunitates. Dialog. de caus. corr. eloq. 28. remissiones. Comp. Böttich. Lex. Tacit. p. 360 sq., Pabst. Eclog. Tacit. p. 304. et ad Dial. de Orat. c. 6., Bach. ad Ann. IV. 32., Rupert. ind. Latinit. Tacit. s. v. Numerus. His addantur e Vellei. Paterc. II. 128, 3. principatus, q. l. Kritzius iure tuitus est, e Cornel. Nep. Chabr. 1, 4. status, et ex Epamin. 4, 6. vitae ubi vid. interp., coll. Cic. de nat. Deor. I. 20, 52. commoda vitaeque.

---

*) Haec verba Gesner. in Thesaur. recte interpretatus est: quidquid in civitate honestum est. Haasius ad Reisig. Praelect. p. 131. not. bene comparavit Francogallorum: les notabilités.

E Valerio Maximo plura exempla contulit Haasius in additam. ad Reisig. Praelectt. p. 878. et ex Appuleio G. Hildebrandt. apudFörtsch. l. c. p. 464. Alios locos, qui fere omnes sunt scriptorum prosariorum, congesserunt Güntherus, vir doctus et laboriosus, in Latinit. Restitut. P. II. cap. 135. p. 718-734. ed. sec. et Ruddimannus atque Haasius ll. cc. *)

§. 2.

His igitur praemissis ad propositum nostrum veniamus et de pluralibus apud poetas Latinos disputemus, initium facientes a vocabulis, quae sunt in sermone poetico usitatissima, ut amores, cursus, irae et aestus, metus et timores, mortes, ortus, reditus, rivi, soles, triumphi, undae.

AMORES. Hoc vocabulum, si de pluribus, qui amaverunt agitur, numero poni plurativo, nulla eget demonstratione. Sed non raro poetae alium statum hoc numero exprimunt, id est unius hominis varias rationes, sive de ipso suoque amore loquentis, sive ab aliis inter narrandum commemorati. Ita Dido in suavissima oratione (Aen. IV. 28.) Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Abstulit: ille habeat secum servetque sepulcro, in q. l. pluralis omnem mutui amoris sensum et affectum denotat, ut Ovid. Met. I. 617. (suos addicere amores). Similiter Nisus (Aen. V. 334): Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum vel Paris apud Ovidium (Her. XVI. 241): Ah quoties iuvenum narravi potus amores. Haec verba pessime Heinsius interpretatus est, Paridem apud Helenam de paederasticis rebus narrantem significans. Sed omnibus aliis explicationibus rectiora adscripsit Loersius: „verus ille amator, qui sub illis iuvenilibus amoribus latebat, quem illis iuvenum amoribus significabam, ego ipse eram.“ Idem apte contulit Trist. II. 429. Nec contentus (Catullus) ea (Lesbia) multos vulgavit amores, In quibus ipse suum fassus adulterium est et Met. IV. 276., ubi Alcithoe de uno pastore Daphnide Idaeo verba faciens se vulgatos illius amores tacere velle declarat. Add. Tibull. I. 2, 91. Vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores, Post Veneris vinclis subdere colla senem ut apud Stat. Silv. I. 2, 100. iuvenum lapsus et vulnera, ubi vid.

*) Graecorum scriptorum locos colligere non est huius scriptionis. Sufficiat igitur viros doctos, qui hunc dicendi morem vel breviter tetigerunt vel fusius illustraverunt, appellasse. Inter quos primario loco Lobeckius ad Sophocl. Aiac. v. 231. p. 173. nominandus est: tum adde, ne meritissimo viro dignum honorem imminuere videamur, Henr. Stephanum Schediasm. IV. 25. p. 135., post eum quos excitavit Matthiae. Gr. Gr. §. 293. et qui sunt nostri temporis Baguet. ad Chrysost. p. 118., Elmslei. ad Eurip. Heracl. 904., Iacobs. Act. Philol. Monac. T. I. P. 2 p. 156 et ad Achill. Tat. p. 958., Stallbaum. ad Plat. Crit. p. 46. c. et ad de republ. X. p. 611. C. et p. 618. A., Welcker. ad Philostrat. II. 3. p. 418., Bernhardyus in Syntax. Graec. p. 64., Schömann. ad Plutarch. Ag. et Cleom. p. 75., Steinhart. Melet. Plotin. p. 41. et C. Keil. in Iahnii Annalibus Philolog. Vol. XXIX. Fasc. 2. p. 195.

Hand. Redeuntes ad Virgilium in Eclog. X. 52-54. legimus: Certum est in silvis inter spelaea ferarum Malle pati, tenerisque meis incidere amores Arboribus: crescent illae, crescetis amores. In his locis Heynius magnam inesse elegantiam recte iudicavit allato loco Ovid. Her. V. 23. Acutius tamen vidit Vossius, non nomen amicae hic significari, sed Virgilium id dicere voluisse, cum arboribus, quae testimonium praebeant amoris, amorem ipsum et desiderium amicae amissae crescere. Alia scita per pluralem amplificatio est apud Tibull. II. 2, 11. Auguror, uxoris fidos optabis amores. Vossius et Dissenius recte uxorem Cerinthi intellexerunt, non futuram, sed quam iam tum habuit. Amores igitur poetice continuitatem indicant amoris, quam nulla temporis diuturnitate interruptam Cerinthus, ut bonus maritus, cupere debebat. Non dissimilis generis sunt apud Stat. Silv. III. 5, 105. mille amores de praestanti terra Italiae. Scilicet regio est amoenissima, digna quae a plurimis ametur, vel quae repetitis occasionibus homines caritate sui impleat. Eiusdem iteratae actionis testis idem est Theb. XI. 661., in q. l. Creon dicitur saevis imbutus amoribus aulae, ut tyrannus, qui secum iam dudum magnam crudelitatem et crudeles delicias qualis aula gignere solet, agitaverat: cfr. Horat. Carm. IV. 12, 9. regum libidines i. e. quales esse solent regum barbarorum libidines. Friget ergo lectio Barthii et ed. princ. imbutus moribus aulae. Similiter Lucanus III. 53. de Caesare: pacique intentus agebat Quoque modo raros populi conciret amores h. e. id agebat, ut non una ratione, sed aliis de causis praeter vilitatem annonae, quam poeta statim post commemoravit, populi favorem sibi conciliaret. Cuius populi amor quam celeriter perire posset, Caesar bene perspexerat. Ita vani parentes opponuntur veris in Virg. Aen. I. 392. et vanus crebro legitur p. inanis, ut ib. VIII. 187. XI. 52. Cfr. Huschk. et Dissen. ad Tibull. III. 4, 3. et 56. Apud Sophocl. Antig. 613. pluralis numerus ἔρωτες in verbis: ἐλπὶς— πολλοῖς δ' ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων de cupiditatibus, quales per animi levitatem concipi solent, intelligendus est.

CURSUS. De hoc vocabulo nobis disputandi otium fecit Wagnerus in Quaest. Virgil. p. 416.

IRAE et AESTUS. De uno homine irae apud Virgilium frequentissime, ut de Achille apud poetam in Cic. Tuscul. III. 9. 19. Corque meum penitus turgescit tristibus iris, atque de Mario in Pharsal. II. 94. Libycas ibi colligit iras Ut primum fortuna redit. Quae verba non, ut Hortensius, intelligo de Libycis leonibus et hominibus vel cum Barthio de summa ira, qualis Car-

thaginiensibus in populum Romanum erat propria, sed tales explico iras, quales in terra Libyca ortae erant, quae, quo diutius a Mario in pectore fuerant compressae, tunc eo gravius erumpebant. Ita apud Claudian. VI. Consul. Honor. 620. Libyci sunt cineres, qui in Libya proprie diffundi solent et apud Vellei. Pat. 73, 3. piratica scelera sunt nefanda facinora, qualia a piratis committi solent, ut Kritzius bene vidit. Verba colligit iras ad modum similium locutionum, tum apud Virgilium (Aen. X. 412. XII. 491), tum apud alios poetas (Sil. Ital. X. 128. Stat. Theb. IX. 692. Ovid. Met. I. 234. ibiq. Bach.) posita Cortius recte defendit. Porro varia genera et rationes irae, quae sive in hoc vel illo, sive in hac vel illa re, conspicuae sunt, plurativo numero cum vi describuntur, ut egregie adiuvent orationem commotam. Sic Stat. Theb. XI. 23. Omnibus ante oculos irae Iovis, ubi verba, quae sequuntur, declarant, qua ratione singulos Argolicorum milites in fuga Thebana Iovis ira assecuta sit, ibid. 314, ubi serpens iras sui veneni bibere dicitur, tum 627. irae mortis Oedipum post luctuosam orationem corripiunt. Add. Horat. Epp. I. 4. 12. inter spem curamque timores inter et iras, ubi poeta tranquilliori dicendi genere usus de universo rerum humanarum statu locutus est et hac de causa pluralem elegit, licet singularis in eadem re praecesserit. Simili ratione uterque numerus coniunctus est a Statio Theb. V. 393. Fragor inde iugis, inde amnibus irae. Hoc enim vocabulum a poetis saepe ad res inanimatas, ut animus, ingenium aliaque, transfertur. vid. Lucan. V. 409. X. 316.

Aestus verbum est cognatae significationis, cuius numerum pluralem librarii saepenumero in singularem mutaverunt, de qua re Obbarius et Orellius ad Horat. Epp. I. 2, 8. subtiliter disputaverunt. Ut ad rem meam nonnulla adiiciantur exempla, vid. Valer. Flacc. III. 572. Varios hinc excitat aestus Nube mali percussus amor Herculis in Hylan. Claudian. IV. Consul. Honor. 226. Qui non-incertos animi pacaverit aestus. Virgil. Cir. 339. His ubi sollicitos animi relevaverat aestus Vocibus.

§. 3.

METUS et TIMORES. Differentia numeri singularis et pluralis apud poetas aptissime patebit e duobus locis Virgilianis. Nam Aen. I. 463. Aeneas Achaten, de fortuna secunda plane desperantem, his verbis solatur: solve metus, ita ut omnia, e quibus animus mali aliquid sibi praesagiret, plane abiiceret. Scilicet classis amissa, socii dispersi, terra nova Achaten sollicitabant. Sed ib. 562. Dido Ilioneum alloquitur: solvite corde metum, Teucri. Hi vero nihil aliud ab illa petierant, quam ut sibi terram Carthaginis adire navesque suas reficere liceret. Una igitur erat causa metu-

endi, precum denegatio. Similiter Ovidius Met. V. 363. de Plutone: depositique metus, ut Bachius bene edidit pro: depositoque metu, quae lectio, teste Boissonadio ad Aristaenet. Epp. p. 253., neque simplicior est neque verior. Nam Pluto in loca supera egressus fundamina terrae Siculae cautus ambierat et omnibus exploratis nullum sibi imminere periculum intellexerat. Erant igitur variae metuendi causae. De grammatica loci constructione atque omissione verbi, quod dicunt, finiti vid. Iahn. ad Aen. I. 367. ed. sec. Tum apud Ovidium Met. X. 466. virginei metus Myrrhae a Cinyra patre levantur, cui puellae, tam immane facinus in cubiculo patris ausae, sane multae eaeque gravissimae erant metuendi causae. Porro Paris, ut multiplices Helenae curas, ne armis a Graecis repeteretur, demeret (Her. XVI. 342), post varia solatii argumenta, his verbis finit: crede mihi, vanos res habet ista metus. Et Propertius, qui bellum cum Cleopatra Augusto commendat, varia ingentium navium terriculamenta pro rebus levibus et inanibus, quae in ipsa pugna nullius usus sint, habenda esse exclamat Tigna cava et pictos experiere metus (IV. 6, 50), ut Eurip. Electr. 453. de clypeo Achillis: ἔκλυον — ἀσπίδος ἐν κύκλῳ | τοιάδε σήματα, δείματα Φρύγια, τετύχθαι. Quemadmodum in illis locis res, ita in aliis personae significantur: vid. apud Stat. Silv. III. 2, 80. in allocutione navis: tot gracili ligno complexa timores i. e. homines, pro quibus timemus. Paullo difficiliora sunt verba Theb. V. 316-319., quae sic scribenda esse censeo: Ac prope moesta rogum adsto Ense cruentato per fraudem, (vulgo, sed inepte, legitur: ens. cr. fraudemque) et inania busta Plango metu, si forte premant, cassumque parenti Omen et hac dubios leti precor ire timores. In his Hypsipyle timores commemorat duos, unum de se propter saevos Lesbiarum animos, alterum de ambiguo parentis fato, utpote qui fluctibus maris expositus in exigua cymba iactetur. Ita dubius tyrannus de Eteocle et Polynice ibid. II. 444. cfr. Quaest. Epic. p. 127. 134. et 136. Sententia verborum haec est: in votis hoc habeo, ut omen, cuius concipiendi causa bustum est exstructum, sit cassum et inane, atque timores, quibus de vita aut morte parentis dubia conficior, eadem via (i. e. hac) in vanum abeant, qua ego in vanum plangebam. Altera h. l. lectio, quam in optimo libro Barthius se invenisse testatur: et hac dubios leti tenus ire timores non contemnenda est, e qua Hypsipyles haec fere esset mens: inter plangendum hoc precor, ut non ultra his fictis doloribus indulgere vel opus sit, vel de mea morte vel de morte parentis. Hactenus, ut saepe, rem ad terminum aliquem perductam significat, quam aliae res ex alia parte sequerentur. Vid. Virg. Aen. X. 625. Hactenus indulsisse iuvat: sin altior istis Sub precibus venia ulla latet-spes pascis inanes. cfr. XI. 822. et Hand. Tursell. T. III. p. 9. Sed id

obstare videtur, quod v. plango ad inania busta et ad cassum omen facile referri potest, minus tamen commode ad ultima verba. Haec enim v. opto seu aliud huius generis requirunt, quale e v. plango elici non potest, licet in talibus constructionibus satis magna licentia usi sint poetae Latini. Uberiorem huius loci, quam meditatus eram, explicationem fines scriptionis angustiores non admittunt.

MORTES. Huius vocabuli numerus pluralivus non solum amplificat, sed varia genera mortis, quibus singuli homines pereunt, comprehendit. Ita legimus apud Lucan. VII. 100. Ut mallem sterni gladiis mortesque suorum Permiscere meis. Sil. Ital. IX. 369. Per pectora saevas Exceptat mortes. Stat. Theb. VI. 793. Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes. *) Similiter praesentissima mortis pericula, quae non uni, sed pluribus imminent, describuntur ab Ovidio Met. XI. 537. Totidemque videntur Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes, a Lucano VII. 517. inde cadunt mortes et a Statio Achill. I. 434. Quod (ferrum) conspirante veneno Impellat mortes, velut pluralis θάνατοι de violenta, sive quod fere eodem redit, de praematura morte saepe a Tragicis graecis usurpatur, docente Seidlero ad Eurip. Electr. 479. cui add. Ellendt. Lex. Soph. T. I. p. 781. Idem numerus ad res plures, non certo tempore, sed variis occasionibus eventuras refertur in gravi loco Phars. II. 82. Debet multas hic legibus aevi, Ante suam, mortes (vid. Cort. ad VII. 180. et Markl. ad Stat. Silv. I. 3, 62. p. 194. Dr.) et apud Horat. Sat. I. 3, 108. Sed ignotis perierunt mortibus illi. Alia exempla vid. apud Voss. l. c.

§. 4.

ORTUS, RIVI et SOLES. Tibullus, qui in priori carminis (I. 1.) parte de plantatione agrorum cultuque Deorum rusticorum egerat, in altera de aliis vitae rusticae occupationibus ita dicit, ut repetita primaria sententia utramque partem his verbis (v. 49. 50.) iungat: Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra Arboris ad rivos praetereuntis aquae. Ortus Canis aestivi praesentiam Sirii in coelo per menses aestivos significare, recte Dissenius vidit. Qui calores Sirii quum per illud tempus quotidie redeant hominibusque sint gravissimi, poeta pluralem numerum posuit,

*) Ita apud Homer. Odyss. XII. 341. πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι i. e. mortis genera. Usus illius discretivi, ut Grammatici loquuntur, exempla apud Homerum sunt plura, ut Odyss. V. 250. εὖ εἰδὼς τεκτοσυνάων de omnibus, quae callet τέκτων, veluti XVI. 253. δαήμονε δαιτροσυνάων et V. 278. ἀφροσύναι. Tum X. 354. ἡ δ' ἑτέρη προπάροιθε θρόνων ἐτίταινε τραπέζας, in q. l. non mensae significantur, in quibus alternis vicibus cibi potusque apparantur, sed mensae singulis appositae: cf. Nitzsch. Annot. ad I. 109. Porro XVII. 87. ἀσάμινθοι plurative ponuntur, ubi de pluribus agitur, comp. 90. et IV. 48. De abstractis apud Homerum vocabulis vid. in universum Spohn. de extr. Odyss. part. p. 106. et de differentia concretae et abstractae indolis in scribendo Gustav. Pazschkius in Quaest. de nomin. abstract. apud Homer. (Hal. 1840) p. 18.

quo id exprimitur, cuius rei simplicem notionem numerus singularis continet, ut Horatius Carm. IV. 15, 15.: Imperii Porrecta maiestas ad ortus (ut bene ediderunt Vanderb., Iahn., Meinek., Orell. et Regel.) Solis ab Hesperio cubili, et Tacitus Germ. 45. extremus cadentes iam solis fulgor in ortus edurat, ubi vid. Dilthei. et Kiessl. Cfr. Horat. Carm. III. 24, 36. fervidis pars inclusa caloribus mundi, ut e contrario frigora Peligna ibid III. 19, 6. ubi vid. Lübker. annotat. in Horatii Carm. p. 483. et Herzog. ad Sallust. Iug. 18. 9. Add. Virg. Georg. II. 481. Quid tantum Oceano properent se tinguere soles Hiberni (ut ἀντολαὶ Ἠελίοιο in Odyss. XII. 4. de solis ortu, quem homines quotidie vident) et v. lunae in simili significatione apud Horat. Carm. IV. 7, 13. Altera v. ortus vis, quae est Sirii calidi terrasque iterata vice torrentis, confirmatur eodem usu v. soles apud Ovid. Fast. II. 311. Aurea pellebant rapidos umbracula soles: cfr. Amor. III. 6, 106., Claudian. IV. Consul. Honor. 341. et Ruhnk. ad Ovid. Her. p. 38. Maior inter viros doctos de altero versu Tibulliano orta est controversia. Scilicet Dissenius plures rivos in praedio sive natura sive arte deductos arboribusque umbriferis cinctos fuisse statuit, allato Horat. Epp. I. 10, 6. ego laudo ruris amoeni Rivos, cui verba Carm. I. 7, 14. addere potuit. Sane haec imago est suavis, immo suavior fit meo arbitratu ex interpretatione censoris editionis Huschkianae (Passovium fuisse suspicor) in Ephem. Lit. Ien. a. 1815. part. 204., qui rivos de celeri aquae cursu, sese in rivos quasi multiplicantis, a Tibullo dictos esse proposuit. *) Nam unus modo fuit rivus, varius tamen oculisque amoenus illius adspectus, utpote eius ripae modo laetiores, modo contractiores erant et ipse citas diffundebat aquas (ut Seneca Hippol. 510. in simili loco est locutus), id quod numero plurativo, qui novas addere solet notiones, luculentius exprimitur quam numero singulari. Quantopere poetae Romani talibus descriptionibus delectati fuerint, multi loci docent, ut versus ille Horatianus (art. poet. 17), naturae rei egregie accommodatus: Et properantis aquae per amoenos ambitus agros, tum Calpurn. Sicul. II. 57. Virides qua gemmeus undas Fons agit et tremulo percurrit lilia rivo. Add. Obbar. ad Horat. Epp. I. 10, 21. p. 40. s. Hac ratione explicamus locum Horatii Carm. III. 13, 7. a Passovio allatum: Gelidos inficiet tibi Rubro sanguine rivos Lascivi soboles gregis. Magna enim celeritas, qua aqua fontis Bandusii (de hoc uno sermo est) se cum sanguine commiscet, indicatur. Cfr. Virg. Aen. XI. 668. Sanguinis ille vomens rivos cadit et Iuvenal. VI.

*) Haec sunt illius verba: Es bezeichnet der Plural in dieser Stelle das schnelle Hinströmen der Flüssigkeit, das in jedem Augenblicke einen erneuerten Bach bildet, und so ist er natürlich und anschaulich wahr.

430. Marmoribus rivi properant. Qua occasione data eandem inter numerum pluralem et singularem differentiam in Horat. Ep. I. 16, 38. tangamus: Idem — Mordear opprobriis falsis mutemve colores. In h. l. Gesnerus, Bothius et C. Passovius scripserunt colorem. Sed iam Bentleius: „significat, non semel, sed crebro ruborem palloremque ire et redire.“ Huic obsecuti sunt Schmidius, Meinekius, Orellius (qui scripturam colores, ut iam Bentleius testatus erat, ex optimis suis libris confirmat) et Obbarius in uberrima de h. l. disputatione, quae legitur in Supplem. Annal. Iahnii Vol. II. P. 4. p. 592. s. Hic docuit, mutare colores nihil aliud esse nisi colorem ita mutare, ut plures inde evadant colores, ut rubori succedat pallor et contra: quam rem Plutarchus (Virt. Mor. T. VII. p. 763. ed. R.) per χροᾶς μεταβολὰς significavit. Tum pergit: „ex quo satis intelligi arbitror, ista formula apprime describi eum, qui non consistit ore, ut ait Cicero ad Quint. Fratr. II. 8., cui color non certa sede manet, ut ipse Horatius Carm. I. 13, 5. indicat.“ Magnam similium locorum multitudinem Obbarius perdocte, ut illius est mos, contulit, e quibus modo hos excerpamus: Lucan. V. 214. Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora. Senec. Med. 857. pallor fugat ruborem: Nullum vagante forma servat diu colorem. Herc. Oct. 251 sq. Nec unus habitus durat — Pallor ruborem pellit, et formas dolor Errat per omnes.

PACES. Verbis Horat. Epp. I. 3, 8. Bella quis et paces longum diffundit in aevum Comment. Cruq. adscripsit: nove dixit, quia Grammatici negant in plurali numero declinari. Refutavit tamen hoc praeceptum Schmidius ad h. l., tum pluribus Persii et Plauti versibus, tum altero Horatiano exemplo Epp. II. 1, 108. Hoc paces habuere bonae ventique secundi. In priore loco res ab Augusto in pace praeclare gestae significantur, in altero paces appellantur bonae ob res dulces atque gratas, quibus pacis tempora florebant et artibus aliisque vitae commodis favebant. Qua de re secundi adiunguntur venti, quos Schmidius rectius interpretatus est quam paces bonae, quas ut Orellius de diversis pacis foederibus intellexit. Neque Paldamo, qui de talibus pluralibus in Ephemer. Antiq. Darmstad. a 1840. part. 139. breviter sed acute, disputavit, plane in eo assentimur, quod pluralem hic fere nihil differre a singulari pronuntiavit. Immo pluralis eam, quam illae paces in totum populum Romanum habebant, vim, dilucide exprimit et bonum est amplificationis adiumentum. De usu v. paces apud scriptores prosarios conferendus est Kritzius ad Sallust. Iug. 31, 20.

REDITUS et TRIUMPHI. Legimus apud Tibull. I. 3, 13. Cuncta dabant reditus. Pluralis a poeta positus est, ut singulae actiones, vota, preces, intelligantur, quibus Delia Deos omnes adiisse dicitur: harum vero quaeque felicem Tibulli reditum

ipsi spondebat. Itaque Broukhusius non debebat dicere, parum referre, utrum reditus an reditum scribatur. Nam hic prior numerus, reditu ab omni parte toties nuntiato, placuit Tibullo. Alia exempla habet Broukhusius, ut Ovid. Fast. I. 279. in verbis Iani: Ut populo reditus pateant ad bello profecto: Tota patet dempta ianua nostra sera, in q. l. reditus ad singulos, quibus reditus contigit, refertur, et Her. X. 103. Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem de Theseo et Ariadna. Eadem ratione Horatius Regulum dixit (Carm. III. 5, 52.) dimovisse populum reditus morantem. Nam quae per numerum singularem declaratur redeundi notio eam poeta pluraliter extulit, ut lectoribus appareret, quoties Regulus, populo prohibente, reditum tentaverit. Itaque non assentior Lübkeri explicationi in annotat. Horatian. ad h. l. p. 388. Comparemus v. adventus usum apud Cicer. p. leg. Manil. 5. 13. Ipsorum adventus (i. e. quoties advenerunt) in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differunt. Similiter de leg. agrar. I. 3, 9. adventus graves et Plin. Epp. IV, 1. adventus meos celebrat. Neque aliter Tibullus I. 6, 62. v. strepitus usus est: cognoscit strepitus, me veniente, pedum. Nam anus illa memor erat sui officii, quoties pedes amatoris ad dominam venientis strepentes audiebat. In tali re singularem quoque locum habere posse, ut in exemplis Broukhusii, quis est qui neget? Apud eundem poetam triumphi leguntur de uno triumpho I. 7, 5. Novos pubes Romana triumphos vidit et II. 1, 33. celeber Messala triumphis, poetice, ut Dissenius scripsit. Et nos quidem sic diceremus de re magna et splendida, quae ad animos singulorum vim habet licet res ipsa modo sit una. *) Non argutandum igitur est in talibus, sed acquiescendum in prae-

*) Ita Schillerus, cui cuncta Europa ora obvertit, in hymno, qui Laetitiae inscriptus est, de uno vexillo,

auf des Glaubens Sonnenberge
sieht man ihre Fahnen wehn.

et alii poetae. Quo loco allato, pauca e patria lingua deprompta adiicere placet, ne, dum Latinas laudamus Musas, amoenissimos Germanicarum Musarum campos ignorare videamur. In universum tenendum est, nostram linguam, qualis hodie est, pluralia abstractorum e communi usu relegasse et poetis tantum reliquisse. Itaque legimus apud Schillerum in Morte Wallensteinii (Act. I. Sc. 1.): sie (i. e. Veneris astrum) wirkt herab in allen ihren Stärken, et in Guilelmo Tellio (Act. I. Sc. 4.): der Schwytzer wird die alten Bünde ehren, tum apud Arndtium in carmine S. Christophori: wenn du kein Mann von Fürchten bist; denique Fr. Rückertus, ut mirus est verborum artifex, dixit: die Lieben et die Hasse (Carmin. T. III. p. 238.) Maxime talibus abundavit Klopstockius, quod Pabstius observavit ad Tacit. Dialog. de Orat. 6. p. 24. et in literis, ad me perhumaniter datis, e quibus haec apponam: die Mengen (Messiad. VI. 211. IX. 255.) die Tode (ib. V. 749. XVIII. 154.), die Verderben (ib. V. 615), die Segen (XIII. 638), die Heile (XIX. 582). Quod vero ad antiquissimam et mediam nostrae linguae aetatem attinet, Iac. Grimmius, vir amplissimus, in Grammat. German. T. IV. p. 285. docuit, multa huius generis pluralia priori tempore a scriptoribus formata esse idque pluribus confirmavit exemplis. Addo, huius moris vestigia apud Lutherum in immortali Sanctarum Scripturarum opere reperiri, ut Habac. 4, 4. die Glänze. cf. ib. 11., et Ep. ad Corinth. II. 12, 10. die Schmache.

clara Gesneri ad Claudian. Carm. in Probr. et Olybr. Cons. 151. annotatione. Verba poetae sunt: Nec desidiis dapibusve paratis Indulgere vacat. Ad haec elegantissimus ille interpres: desidiae poterat dicere per legem carminis, et debebat ex lege grammaticorum: sed multitudinis nomine diversa genera a causis, ab adiunctis, notat. Nihil mutant in verbis boni poetae sola metri necessitate, sed metri necessitas illis dictat nonnunquam figuras fecundi sensus: ut homoeotoleuton in linguis Europae hodiernis non exprimit bonis poetis absurda carmina, sed dictat pulchras sententias.“ Cfr. Weichert in disputatione de vers. aliq. Virgilii et Valer. Flacc. p. 85. Ad quae Gesneri et Weicherti praecepta si attendisset Koenius in libro de oratione Epicorum Romanorum p. 91. et p. 105., sane cautius de ea metri necessitate, quae bonos poetas aliquoties adegit, ut a vulgari ordine discederent, locutus fuisset.

UNDAE. Non transscribenda esse censeo quae de hoc plurali Wagnerus Quaest. Virgil. p. 416. observavit: add. Weichert Ep. crit. p. 65.

Praeter haec, de quibus disputavimus, pluralia abstracta restant alia, e quibus modo nonnulla breviter in fine capitis afferemus. Sunt igitur ex Ovidio iudicia (Her. III. 104. ubi v. Burm.), robora (XVI. 367.), dolores (Met. III. 471.), questus (IX. 276), fastus (XIV. 761), ex Horatio cruores (Carm. II. 1, 5.) de sanguine late effuso, ut αἵματα apud Aeschyl. Suppl. 262., dedecora (III. 6, 32) de iis, quae propter indolem flagitiosam in ipsa vita fiunt conspicua (die Unzucht in ihren einzelnen Aeusserungen ut bene Lübker. Comment. Horat. p. 399.), tempora (Epp. II. 1, 4. coll. Stürenburg. ad Cic. p. Arch. p. 99. ed. pr.), labores (ib. v. 124.) de diligenti lima et recondita doctrina, ex Alexandrinis poetis maxime hausta, e Tibullo morae (I. 3, 16), e Phaedro insolentiae (Epil. III. 31.) e Terentio astutiae (Andr. III. 4, 25. ubi Donatus: pluraliter dixit astutias: quasi is, qui abundet astutiis, ut ei una non sufficeret), e Claudiano labores uteri de Proserpina (Rapt. Proserp. I. 195.), de qua re singularem usurpavit Sil. Italic. III. 75. cf. Eurip. Phoen. 30. τὸν ἐμὸν ὠδίνων πόνον μαστοῖς ὑφεῖτο., e Lucano affectus VIII. 131. X. 96. cf. Savaro ad Sidon. Apoll. Ep. 6, 4. His add. Statium Theb. V. 397., in quo loco de mulieribus Lemniis quae arma ceperant, illa vero, Argonautis vix conspectis, statim abiecerant, legimus: redeunt in pectora sexus. Vetus Scholiastes Barthii ad h. l.: omnia muliebria, totum quod ad sexum pertinet. Sed addendum fuit, numerum plurativum hic a poeta ea de causa positum esse, quod haec animi mutatio non unius erat feminae, sed omnium communis, diversis tamen signis, admirando, eiulando, fugiendo, sese ostendebat. Contra ib. XII. 529. Ipsae autem nondum trepidae sexumve fatentur, in notione abstracta numerus singularis praelatus est, licet non uni feminae tribuatur, sed pluribus. Nam res universa

generis notione comprehenditur. Cfr. Virg. Aen. VII. 392. accensas pectore matres. IX. 721. Bellatorque animo Deus incidit, ubi praeclare Wagnerus, cuius et Iahnii annotationem vid. ad Georg. IV. 132. Sed apud Homer. Odyss. XI. 441. in verbis Agamemnonis: τῷ νῦν μήποτε καὶ σὺ γυναικὶ περ ἤπιος εἶναι Nitzschius (Annot. T. III. p. 274.) non sexum femineum, sed solam Clytaemnestram uxorem significatam esse vult. Paullo infra (v. 456): ἐπεὶ οὐκέτι πιστὰ γυναιξίν. In universum vid. de hoc numeri discrimine Hand. ad Stat. T. I. p. 221. et in utilissimo libro: Lehrbuch des latein. Styls, p. 181. ed. sec., add. Grotefend. in: Commentar zu den Material. zu lat. Stylübungen p. 10.

Caput secundum.

De pluralibus poeticis nominum locorum, regionum aliarumque rerum naturalium.

§. 5.

Amplificationis poeticae per pluralem numerum hoc alterum statuimus genus, quod in nominibus locorum, regionum aliarumque rerum naturalium commemoratione continetur. Cuius rei causa, si non omnis, at certe satis magna e summo studio, quo Romani res rusticas vel fructus vel delectationis gratia colebant, derivanda esse videtur. Constat enim, veteres Romanos amoenitates regionis, arborum umbras, pratorum colores, vinearum viriditatem, fontium susurros maxime in deliciis habuisse, rusticationes in primis adamasse et incredibiliter laetatos esse, quum rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolarent, ut fundos suos obirent vel quae villicis imperata erant, inspicerent. *) Haec animorum conditio poetas non mediocriter impulisse videtur, ut non solum, id quod Virgilius, Horatius, Tibullus, Statius aliique fecerunt, de rebus rusticis et negotiis vitae rusticae saepissime canerent, sed ut rebus, quae in agris campisque conspiciuntur, commemoratis, aliquid in

*) Uberius haec Obbarius ad Horat. Epp. I. 10, 2. p. 7 s. persecutus est: cfr. Dissen. de poesi Tibulli p. XXXIX. De Graecorum more in amoenitatibus rusticis describendis vid. Iacobs. in praefatione elegantissimi libri: Leben und Kunst der Alten, p. VII s., Müller. Archaeol. Art. p. 445. et Becker. Charicl. T. I. p. 219. s.

descriptione adderent et simplicem earum naturam copiosiore ratione exornarent. In qua tamen re poetae boni id studiose secuti sunt, ne quid inepti vel absurdi ab ipsis diceretur, sed aliquam semper, qua se tuerentur, haberent augendi causam. Quod ut in singulis pluralibus ostendamus, incipiamus a voc. flumina.

Virgilius de Hebro locutus Aen. XII. 331. flumina Hebri posuit ut XI. 659. flumina Thermodontis, licet de uno tantum fluvio poeta verba faciat. Sed uterque locus est in comparationibus et quum in uno Mars, in altero Amazones splendidis verbis describantur, ad maiorem imaginis amplitudinem plurativo numero usus est poeta. Simili ratione de fluvio Nesso, quem, licet violentum et undis rapacibus auctum, Hercules transire non dubitat, Ovidius (Metam. IX. 115) dixit: quandoquidem coepi (i. e. Hercules), superentur flumina. In aliis locis poetae narrationi suae maiorem antiquitatis speciem conciliare voluerunt, numerum pluralem de uno fluvio collocantes, ut Virg. Aen. XII. 518. flumina Lernae, ad q. l. Servius: vetuste flumina pro fluore posuit: neque enim Lerna fluvius est. Add. ibid. IX. 584. Symaethia flumina, Ovid. Fast. IV. 469. Amenana flumina. Stat. Silv. III. 3, 22. Lethaea flumina. Sed Horatius idem vocabulum paullo negligentius elegisse videri potest in Epod. 13, 14. Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois, propterea quod parvus Scamander et flumina sibi repugnare videntur. De quo loco ego in Quaest. Epic. p. 161. s. disputavi contra suspicionem Peerlkampii, qui pro parvi legendum esse puri coniecit, docens Epitheton Horatianum minus bene cum tota loci indole conspirare; at id contra poetam voluisse, ut non singulas res, sed totam fluminis conditionem, ut poetarum mos est, exprimeret. Neque discrepant vv. parva flumina a recentiorum, quos l. c. attuli, peregrinatorum enarratione, e qua apparet, numerum plurativum non ad abstractam, quam vocant, fluvii notionem, sed ad varias, quas per agrum Troianum serpens, species praebebat, referendum esse. Huius significationis plura documenta in superioribus dedi. Quae explicatio si cui minus placet, ea fortasse aptior erit, e qua enallagen statuimus Epithetorum. Frigida parvi Scamandri flumina tum proprie debebant accipi pro: parva frigidi Scamandri flumina, qua enallage poetae id saepenumero spectant, ut spreta vulgari dicendi consuetudine orationem reddant splendidiorem et graviorem. Ita Virgilii verba (Aen. V. 536.) cratera impressum signis salva sententia inverti possunt: cratera impressis signis vel ibid. VI. 353. Spoliata armis (navis) excussa magistro dici pro: spoliatis armis, excusso magistro. Cfr. Ovid. Art. Am. III. 330. vinosi Teïa Musa senis et Eurip. Androm. 159. *δεινὴ γὰρ ἠπειρῶτις ἐς τὰ τοιάδε | ψυχὴ γυναικῶν* pro vulgari *ἠπειρωτίδων*

ψυχὴ γυναικῶν, ubi vid. Pflugkius. Alia exempla congessit Axtius ad Vestrit. Spurinn. p. 54. et p. 90., e Graecis Lobeck. ad Soph. Aiac. 8. p. 73 s. Neque minorem disputandi materiem viris doctis obtulit locus Virgilianus Eclog. I. 52. 53. Fortunate senex, hic inter flumina nota Et fontes sacros frigus captabis opacum. Heynius flumina Mincium et Padum intellexit, quorum prospectus ex illo loco esse potuit, cui Iahnius adstipulatus est, addens, non in eo haerendum esse, quod Virgilianus ager vix a Pado ad Mincium extensus fuerit, quum Meliboeus de tota regione, e qua sibi aufugiendum erat, loquatur. Vossium si sequaris, flumina sunt rivi campestres, ut Ecl. V. 84. et Georg. IV. 54. nam Mincium hic significari posse negat, qui lacum in illa regione efficiat, a quo abhorreat fluminis vocabulum. Contra Wagnerus: „Flumina nota ex poetarum loquendi ratione non alia esse possunt, quam ad quae venire Tityrus, ad quae gregem compellere solebat, non ad quae prospectus tantum patet; consuetudinis enim frequentisque usus, atque inde ortae caritatis notionem sustinet hoc vocabulum, ut Aen. II. 256. litora nota petens." His adduntur alia exempla aptissima. Tum pergit Wagnerus: „iam vero vix videtur is situs locorum fuisse, ut Virgilii praedium ad confluentes Mincii et Padi quaerere liceat. Itaque nihil obstat, quo minus de uno Mincio loqui Virgilium existimes." Probamus hanc interpretationem pluralibus supra allatis confirmatam, quibus Wagnerus locum Aen. VII. 138. adhuc ignota precatur flumina adiunxit. Vellem tamen hunc locum omissum, nam tota verborum conformatio indicat, Virgilium in illo loco non Tiberim, sed fluvios alios Aeneae ne nomine quidem notos intellexisse, ut in similibus eorum, qui in locis nondum visis constiterunt, narrationibus. Cfr. Burm. ad Ovid. Fast. I. 512. Contra Wagnerus vim v. inter docte illustravit, unde haec nostri loci sententia proficiscitur: hic vel ad flumen vel ad fontem captabis frigus, sub arboribus umbram facientibus proiectus. Talem egregiam hominis rustici imaginem multo potiorem habemus quam aliquam de nostro loco coniecturam, utrum Virgilius in hoc terrarum angulo suum praedium habuerit nec ne. Homines enim docti, qui hac aetato nimis anxii sunt in enacleandis rebus geographicis et chronologicis raro tantum bonis literis insigne ornamentum afferunt, immo multis lectoribus creant molestiam risusque movent indoctioribus. Itaque nuper Orellius ad Horat. Carm. I. 27, 10. contra eos qui in similibus rebus ex fide historica investigandis ineptiunt praeclare locutus est. In fine moneo, v. fontes pervulgato poetarum usu de uno fonte dici posse. Cfr. Valer. Flacc. V. 373. illum non tanto gliscere coelo — vellent calidis iam fontibus amnes. Lucan. V. 337. Si cuncta minentur Flumina quos miscent pelago subducere fontes. Add. Unger. Paradox. Theb. Vol. I. p. 198. 199., qui Graecam quoque dicendi rationem pererudite illustravit.

Similis generis est vocabulum aequora, ut apud Ovid. Her. VIII. 73. Tyndaris, Idaeo trans aequora ab hospite rapta, ad terras remotissimas, in quas mater abducta est, significandas. Cuius vocabuli plura documenta congerere piget. Paullo insolentius est, quod apud eundem Ovidium Met. V. 636. de Arethusa legimus: et citius, quam unus tibi facta renarro, In latices mutor. Male egit Heinsius scribendo laticem (ut aequor p. aequora in loc. pr. et papaver p. papavera in Met. X. 190); nam pluralis numerus post singula, quae Arethusa in transformatione passa erat, bene positus cum vi quadam omnia comprehendit. Maior fuit dubitatio de altero quodam loco Ovidiano eritque, nisi fallor, inter viros doctos. Quod enim in Her. I. 24. legitur: Versa est in cineres sospite Troia viro (ita nuperrimi editores) non placuit Heinsio, Burmanno, Lennepio, qui pro more Batavorum philologorum superioris aetatis in nostro loco scripturam cinerem praetulerunt. Utraque libris scriptis confirmatur. Tum Handius in Ephemer. Lit. Ienens. 1815. part. 16. et in annotat. ad Stat. T. I. p. 223. Burmanni opinionem quidem non probavit, quasi in cineres verti de membris urbis hac illac disiectis dictum sit, sed singularem tuitus est, haec addens: optimus quisque auctor scripsit in cinerem verti, ubi incendium aut ruinam imagine describere voluit. Eadem de causa Lucan. III. 185: nec flammam superant undae, non flammas. Neque nos singulas urbis Troianae partes et domus exustas intelligimus, sed totam urbem ita deletam, ut omnia sint unus cinis velut Thessalia bustum appellatur populi Romani a Lucano VIII. 662. Cfr. apud Virgil. Aen. II. 642. Anchisis verba: satis una superque Vidimus excidia i. e. urbis Troianae. Hanc vero magnitudinem eversionis e more poetarum numero plurativo, qui et res singulas comprehendit et totius rei conspectum uno vocabulo declarat, aptissime exprimi posse censeo, qua de re cum omnibus prope libris scriptis et veteribus editionibus v. cineres praeferendum esse duco. Idem Loersius et Iahnius senserunt, quorum hic ad Handium refellendum, quasi non posset dici in cineres verti, attulit Amor. III. 5, 12. Candidior nivibus, tunc quam cecidere recentes, In liquidas nondum quas mora vertit aquas. Ad sententiam comparari potest Virg. Aen. X. 59. Non satius cineres patriae insedisse supremos, ubi nihil variant libri scripti. Apud Horat. Carm. IV. 13, 28. verba: Dilapsam in cineres facem Gesnerus recte interpretatus est: dum paullatim ea consumitur, dilabuntur disperguntur que. Facilior — ut ad res fluviales revertamur — est explicatio loci Iuvenalis Sat. IV. 160. Utque lacus suberant, ubi, quamquam diruta, servat Ignem Troianum et Vestam colit Alba minorem. Nam v. lacus rivos et rivulos a poeta

*) Ad q. l. bene Thielius: der Untergang und alles Schreckliche, was dabei vorkommt.

significatos esse putamus, qui aquas ope emissarii Albani (cfr. Niebuhr. Hist. Rom. T. II. p. 569 s.) per humiliores valles in mare ducebant. Eadem de causa Cicero p. Milon. 31, 85. de eadem regione lacus, nemora finesque coniunxit.

§. 6.

Quemadmodum verba flumina, fontes, cineres, lacus, aequora, usurpata sunt a poetis, ita vocabula arces, valles, montes, viae, axes. Ac primum in plurativo usu v. arces de una arce eam veterum poetarum consuetudinem perspicimus, quae, quum res splendidas et augustas non sine altitudinis notione (vid. Quaest. Epic. p. 28 sq.) apud animum suum cogitare possent, easdem omni ratione augere et exornare impellebat. Constat enim v. arx et arces saepenumero de montibus, scopulis et iugis dici (vid. Drakenb. ad Sil. Ital. XV. 305. et Bach. ad Ovid. Met. I. 57.), tum de urbibus aut castellis, quae sunt montibus imposita, ut nihil frequentius fere est arcibus Romanis, velut apud Virgil. Georg. II. 172. (Imbellem avertis Romanis arcibus Indum,) in q. l. non imperium Romanum, sed, interprete Wagnero, ipsa Roma in septem collibus i. e. arcibus sita, intelligitur: cfr. Heins. ad Claudian. de tert. Consul. Stilich. 124., Bentlei. ad Horat. Carm. Saec. 65. et Iani Art. Poet. Lat. p. 478. Sed proprie hoc vocabulum ut Graecorum ἄκρα designabat collem arduum vel montem adscendentibus difficilem, qui, ut est apud Varron. de Ling. Lat. IV. 32., locus erat urbis munitissimus, a quo hostis facillime prohiberi poterat, quemadmodum Homerus arcem Iliacam descripsit ἄκρην, δεινὴν, τετρηχυῖαν, (Il. VII. 345): cfr. ibid. VI. 88. 257. Ille locus, quod a Niebuhrio in Histor. Roman. T. III. p. 275. not. docemur, intra urbis moenia erat, neque temporibus antiquioribus muro aliquo a ceteris urbis partibus seiunctus. Itaque plures arces s. ἄκραι in una urbe saepius fuerunt, ut a Dionysio Halicarnassensi in urbe Romana commemorantur ἐρύματα vel ἄκραι, quae ne a domesticis hostibus occuparentur, plebs timere solebat, et disertis verbis a Virgilio (Georg. II. 535.): septem — una sibi muro circumdedit arces i. e. Roma. Nam proprie haec verba accipienda sunt. Quae quum ita essent, poetae Romani illa singula aedificia una cum totius urbis ambitu apud mentem comprehendere atque summam et altissimam urbis partem pro urbe ipsa nominare solebant, confisi se minime errorem aliquem committere, sed iusta ratione rebus a se narratis magnum comparare ornamentum. Fortasse Virgilius ad pristinam urbis Romanae formam descripsit Aenean Carthagine arcus fundantem et tecta novantem (Aen. IV. 260), tum proprie de urbe Collatia (Aen. VI. 774) cecinit: Hi Col-

latinas imponent montibus arces. Porro Lucanus III. 84. Terracinam dixit praecipites Anxuris arces et Ovidius Fast. I. 85. arces Tarpeias de uno monte Tarpeio, quod in loco, caerimoniarum et sacrorum rituum pieno, ad maiorem rei sanctitatem factum esse puto. Cfr. quae de talibus pluralibus cap. III. §. 8. dicentur. Tum antiquo modo idem poeta locutus est Met. XIII. 196. Mittor et Iliacas audax orator ad arces, et ibid. v. 344. quem morem secutus in libr. XV. 427. Nec non Cecropiae, nec non Amphionis arces minus apte atque ex rhetoris persona dixisse videtur, quum in utraque urbe exempla vicissitudinis rerum humanarum, non splendoris et magnificentiae, proponantur. Haec vero numeri permutatio quum in singulis arcibus locum obtineat, quid mirum, si in nobilissima imperii Romani arce appellanda Romani poetae plurativo numero usi sint. Nam Capitolia non solum, ubi de urbe Roma loquuntur, persaepe sic nominarunt ut Aen. VI. 837. VIII. 653. Ovid. Met. XV. 589. 866. al., sed etiam Capitolia urbis Capuae celsa commemorantur a Silio Italico XI. 267. et urbis Narbonensis e Sidonii Apollinaris Carm. 23, 40., ut Drakenb. ad Sil. loc. annotavit.

Eiusdem generis est vocabulum montes, ut Virg. Aen. II. 804. Cessi et sublato montes genitore petivi, in q. l. montes sonat nostrum: Gebirge, licet ea Idaei iugi pars, quae ad Antandrum ferebat, intelligatur. Cfr. III. 6. Contra est apud Horatium Sat. I. 5, 26. impositum saxis late candentibus Anxur de uno monte, in quo, Porphyrio teste, Terracina condita erat et Theocritus (VII. 152.) Polyphemum ὤρεσι i. e. totis montis partibus (ganze Felsstücke) naves Ulyssis petiisse dicit. Tum valles apud Ovid. Fast. I. 264. (arduus in valles et fora clivus erat) et II. 392. (quaque iacent valles, maxime Circe, tuae), dicuntur de una valle, sed in uno loco clivi altitudinem, in altero Circi frequentiam poeta lectoribus suis repraesentare voluit. Ita infra VI. 794. et Metam. XIV. 789. ora Iani et Rutil. Namat. I: 108. viae Tarpeiae. Add. Virgil. Aen. IX. 244. Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem, in quo loco, pluralis numerus cum tota Nisi, qui ad tantam expeditionem se accingit, oratione bene congruere videtur, licet in nostra lingua numerus singularis Latinorum plurali optime responderet (tief im Thale). Contra legimus apud Valer. Flacc. IV. 135. paulumque egressus Echion Invenit obscura gemitus in valle trahentem Clam iuvenem, de q. v. vid. Burmann. ad III. 526. Tertio loco ponimus v. axes. Quod verbum non solum de toto illo coeli traiectu, qui duobus polis terminatur, dici solet, sed improprie apud poetas maxime de quavis mundi plaga seu climate, immo de sideribus ipsis, usurpatur. Ita Claudian. Fescenn. 14, 35. Haec

vox aetheriis intonet axibus fere ut Virgilianum illud Aen. V. 451. it clamor coelo vel de singulis stellis, ut de Rapt. Pros. II. praef. v. 35. Non leo sidereos coeli rediturus ad axes et II. 192. rutilos obscurat anhelitus axes Discolor. Cfr. egregiam Gesneri disputationem ad Claud. de bell. Gildon. 458., quam Zumptius ad Rutil. Namat. I. 18. (Quale per aetherios mundani verticis axes Concilium summi credimus esse dei) debebat repetere. Ipsa verba Zumptius bene expedivit.

Caput tertium.

De pluralibus magnitudinis, gravitatis, praestantiae et pulchritudinis.

§. 7.

Ad tertium pluralium poeticorum genus progredientes campum nacti sumus admodum latum et a poetis Latinis magnopere amatum. Intelligimus enim illa pluralia, quae vel magnitudinem et magnificentiam vel praestantiam et pulchritudinem exprimunt. Hic mos quum a poetarum recentiorum consuetudine valde differat neque iis, qui hodie artem poeticam exercent, multam laudis vel ornamenti occasionem afferre possit, placuit tamen hominibus antiquis, qui rem per se gravem, pulchram atque religiosam numero plurativo longe graviorem, pulchriorem et religiosiorem fieri censebant, tum in hac singulorum cum toto complexione firmissimum boni et elegantis carminis praesidium inesse iudicabant. Sicut enim pictores, quibus poetae saepe comparantur, certas imaginum partes vividioribus coloribus illuminare solent, alias vero tenerioribus tantum et dilutioribus coloribus implere, ita vocabula plurativi numeri apud poetas tamquam priorum colorum locum tenent, qui bene dispersi et disseminati carminibus eum praebent nitorem eamque lucis et umbrae coniunctionem, quam pro egregia excellentis picturae virtute habent artifices. Sed in hac re magna est posita differentia, quod quae in picturis cernuntur oculis et idcirco ab omnibus, peritis imperitis, laudantur, in carminibus nobis non tam illustria patent neque ad certae regulae legem referri possunt, contra, dummodo recte intelligi velint, e tota poetae mente, indole carminis et antiquitatis sentiendi ratione sunt aestimanda. Itaque, si singuli

loci tantum inspiciantur, neque modus, quo pluralia cum ceteris cohaerent, verendum est, ne in nostra disputatione plures loci male perspiciantur, plures vituperentur, plures denique ut versus inopes rerum nugaeque canorae irideantur. Sed nos maximam partem exemplorum ex iis poetis, qui fere nihil invita dixerunt feceruntve Minerva, deprompsimus, talibusque eruditi censores et qui rectos habent pulchri venustique sensus, aliquam libertatem semper concesserunt semperque concedant necesse est. Nam, ut praeclare apud Platonem (Ion. p. 534. B.) legimus, *κοῦφον χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν,* neque omnia in poetis adstringere regulis severioribus vel necessaria mathematicorum ratione concludere decet. Sunt in illis quoque multa, quae per sensum uniuscuiusque communem et naturalem mentis habitum melius perspiciuntur, quam per artificiosam quandam machinationem et magnam praeceptorum subtilitatem.

Notio magnitudinis et gravitatis ut in pluralibus appareat, hos locos enumero. Apud Virgilium Aen. II. 22. Priami dum regna manebant et IV. 591. Ibit — et nostris illuserit advena regnis. III. 488. Cape dona extrema tuorum VIII. 328. Gentes venere Sicanae i. e. Sicani ut X. 139. Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes Vulnera dirigere i. e. tua gens, qui cum Ismaro erant, Lydi. Nam recte vidit Wagnerus *μεγαθύμους Ἀχαιοὺς* ex Homero obversatos esse Maroni et adiectivum e frequenti poetarum more positum loco pronominis possessivi. De qua re ipse attulit Ianium Art. Poet. Lat. p. 334. add. Ovid. Fast. II. 828. Et matronales (ipsius Lucretiae, cuius fletus modo commemoratus erat) erubuere genae et Virg. Aen. III. 544. ovantes p. nos, ibique Thielium. Veniamus ad Ovidium. Her. XIV. 76. Adspicis in timida fortia tela manu, quibus gravior fit propter singularem oppositio, ut Met. IV. 591. Cadme, mane, teque his, infelix, exue monstris ubi vid. Bachius. Contra non sine gravitate est apud Virgilium Aen. XII. 874. Talin' possum me opponere monstro i. e. inevitabili Turni fato. Porro Met. XIV. 396. Nec quidquam antiqui Pici, nisi nomina, restat vel ut Iupiter (Horat. Carm. IV. 27, 76) Europae solatii causa dicit: tua sectus orbis Nomina ducet. Idem vocabulum Fast. II. 16. At tua prosequimur studioso pectore, Caesar, Nomina imperatoris potentiam magnifice exornat, ut de uno viro apud Sophocl. Aiac., 46. *ποίαισι τόλμαις ταῖςδε καὶ φρενῶν θράσει* et ibid. v. 441. *ἀνδρὸς τοῦδ' ἀπώσαντες κράτη,* i. e. virtutem. Cfr. Fast. I. 534. Pondera coelesti mente paterna feret, ut ibid. III. 620. adspexi non illo pectore (Didonis) digna Vulnera et in loco Aen. X. 140. vulnera dirigere de singulis Ismari telis, quibus vulnera aliis infligit. Idem Ovidius in re gravi et ampla voc. silentia non uno in loco collocavit, ut Met. I. 232. nactusque silentia ru-

ris Exululat, ad q. l. Bachius plura contulit. Add. Virg. Aen. X. 63. Quid me alta silentia cogis Rumpere et Lucan. V. 121. vastaeque silentia rupis. Simili modo poetae utuntur v. pignora. Vid. Stat. Achill. I. 127, Ubinam mea pignora, Chiron, in oratione Thetidis, quae filium requirit, et in graviore loco Lucani V. 473., ubi de necessitudine inter Caesarem et Pompeium ex affinitate contracta: post pignora tanta, Sanguinis infausti subolem, mortemque nepotis (male: nepotum). Alia dabit Oudendorpius. Porro sententiarum verborumque vim, vel me non monente, quisque sentiet in allocutione Hamilcaris ad Hannibalem filium (Sil. Ital. I. 110.) horreat ortus iam pubes Tyrrhena tuos, vel in descriptione miserrimae, in qua versabantur Saguntini, conditionis: uxor et a caro posceet sibi fata marito (Pharsal. V. 353). Postremo loco e Tibullo usum v. morbi affero, ut IV. 11, 3. Ah ego non aliter tristes evincere morbos (febri laborabat poeta) Optarim, ut statim post v. 5., quemadmodum de Aiacis insania Minerva apud Sophocl. Aiac. 59. ἐγὼ δὲ φοιτῶντ᾽ ἄνδρα μανιάσιν νόσοις | ὤτρυνον.

§. 8.

Eundem numerum pluralem secundo loco diximus signum praestantiae et pulchritudinis. Ad hoc genus e Virgilio pertinent Aen. IV. 263. dives quae munera Dido Fecit. V. 359. clipeum, Didymaonis artes. VIII. 729. Talia per clipeum Vulcani, dona parentis. His simillima sunt e Silio Italico II. 396. Ecce autem clipeum — Oceani gentes ductori dona ferebant, Callaicae telluris opus. VI. 648. ingentem pascens Mevania taurum, Dona Iovi. Tum e Statio Theb. II. 586, ensem — Mavortia munera et X. 58. peplum — castae velamina Divae. Cfr. Hom. Il. XX. 268. χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε, δῶρα θεοῖο. Theocrit. VIII. 40. κἤν τι Μενάλκας Τεῖνδ᾽ ἀγάγῃ, χαίρων ἄφθονα πάντα νέμοι ubi vid. Wüstemann. Grammaticae, quae in his exemplis inest, appositionis rationem recte perspexerunt interpretes, ut Thiel. ad Aen. V. 359., Wunderlich. ad I. 339., Iahn. ad Eclog. II. 3. aliique, quibus de Graecorum consuetudine add. Matthiae. Miscell. Philol. Vol. II. p. 7. et in Grammat. Gr. §. 431., tum Monk. ad Eurip. Alc. 769. Sed ad eum quoque morem poetarum attendendum est, e quo sicut longioribus artis operum descriptionibus (vid. C. Müller in Animadv. ad Catull. Epithal. p. 14. 15.) vigorem quendam et vividiorem motum carminibus conciliare studuerunt, ita numero plurativo rem grandiorem et pulchriorem fuisse significant, ut maiore admiratione lectorum animi impleantur. Itaque Heynius in loco Aen. V. 359. pluralem artes ut exquisitiorem scripturae artem praetulit. Cuius rei luculentissima documenta in commemoratione rerum sacra-

rum, templorum, altarium aliarumque huius generis expressa sunt. Nam apud Virgilium legimus Aen. VI. 41. Teucros vocat alta in templa sacerdos, apud Ovid. Fast. I. 70. Et resera nutu candida templa tuo. V. 669. Templa tibi posuere patres. Met. XI. 359. Templa mari subsunt ut XII. 45. Amycus penetralia donis Haud timuit spoliare suis, et sic fere semper plurali numero, ubi unum templum intelligitur, poetae locuti sunt. Cfr. Markland. ad Stat. Silv. II. 1, 117., quem locum ingeniose correxit, Webero et Dübnero adstipulantibus. *) Similiter arae apud Virgil. Aen. III. 545., IV. 219., et Ovid. Met. VII. 74. cfr. varr. lect. ad Fastor. I. 709., et altaria apud probatissimos scriptores, testibus Freundio in praefat. Lexic. Lat. p. XLVII s. et s. v. altaria atque Fabro ad Liv. XXI. 1, 4.**) Ciceronem vero in oratione pro Rosc. Amer. 8, 53. verbis focis patriis ob Deos, qui sequuntur, Penates concinnitatis causa usum fuisse, ex iis patebit, quae de hoc dicendi genere in Introductione (p. 4. not.) disputavi. Eadem ratio quum in ceteris rebus sacris, tum in ipso vocabulo Dii est frequentissima. Nam non unum Deum, cuius partes in aliqua re insignes erant, nominare, sed totum genus divinum vimque divinam numero plurativo comprehendere, poetis Latinis aptissimum visum est ad animos commovendos et pio quodam horrore percellendos. Itaque hanc sentiendi rationem Wagnerus secutus est in explicando loco Aen. I. 4. Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram, docens, obscure quidem Virgilium significasse numen aliquod divinum, cuius vi Aeneas sit iactatus, sed statim adiecisse verba: saevae memorem Iunonis ob iram, ut intelligatur, quis sit ille Deus obscure significatus. Eodem modo idem vir doctus interpretatus est XI. 784. Superos Arruns sic voce precatur: Summe Deum — Apollo, in quo loco Arruns generatim precatus esse dicitur, quamvis deinceps solum Apollinem compellet. Cfr. Eclog. IV. 49. Cara Deum soboles, magnum Iovis incrementum. Aen. VI. 322. Anchisa generate, Deum certissima proles. Add. eiusdem Wagneri annotata in specim. nov. edit. Virgilii (Dresd. 1836) p. 21. et 31. et quem scite attulit locum ex Eurip. Heraclid. 348 - 353. Elmsl., qui, quum plurali *θεοῖς* usus esset, ostendit deinde,

*) Eadem dicendi ratio fuit apud poetas Orientalium. Nam Ps. 84, 2. habitaculis Dei summi unum templum significatur et Ps. 133, 2. montes Sionitici commemorantur, licet unus modo fuerit mons Sion, qui vero est quasi caput ceterorum montium circa urbem sanctam, unde hi maiorem accipiunt gravitatem. Cfr. Gesenius ad Ies. 53, 9.

**) Itaque recte scribitur in Lysiae Epitaphio p. 69. R. e codd. Ioann., Coisl., Leid. et Vimar.: *οἱ παῖδες αὐτοῦ* (Herculis) — *ἀφικόμενοι εἰς τήνδε τὴν πόλιν ἱκέται ἐπὶ τῶν βωμῶν ἐκαθέζοντο*, quemadmodum Förtschius p. *ἐπὶ τὸν βωμόν* haec verba exhibuit. At una tantum erat ara, ad quam illi supplices confugerant. Quae sermonis amplificatio quam facile ferri possit, exempla a Tayloro ad h. l. et ab Heynio ad Apollodor. p. 202. collecta docent.

unam intelligendam esse Minervam: *θεοῖσι δ' οὐ κακίοσι | χρώμεσθα σύμμαχοισιν Ἀργείων, ἄναξ | τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ, Διὸς δάμαρ, | Ἡμῶν δ' Ἀθάνα, φημὶ δ' εἰς εὐπραξίαν | καὶ τοῦθ' ὑπάρχειν, θεῶν ἀμεινόνων τυχεῖν· | Νικωμένη γὰρ Πάλλας οὐδ' ἀνέξεται.* Sed alii sunt loci, in quibus non tam diserta Dei Deaeve sequitur appellatio, qui tamen ex eodem more indefinite et cum aliqua obscuritate loquendi illustrandi esse videntur. His adnumero Virg. Aen. I. 666. Ad te confugio et supplex tua numina posco. Ovid. Met. XIII. 82. Hector adest secumque Deos (i. e. Apollinem, deum tutelarem) in proelia ducit. ib. 376. in oratione Ulixis: perque Deos oro, quos hosti nuper ademi. Scilicet Minerva intelligitur, quam Deam eripere sua aede raptamque efferre per hostes (v. 345.) ausus fuerat. Add. ex Aeneid. IV. 642. Dis genite et geniture Deos. X. 229. Vigilasne, Deum gens, Aenea? plane ut *Βορεὰς ἅμιππος — θεῶν παῖς* apud Sophocl. Antig. 986. Br. Cfr. Hand. ad Stat. Silv. I. 1, 74., Ellendt. Lexic. Sophocl. T. I. p. 791 s. et Axt. ad Vestr. Spur. p. 71. cum iis, quae infra cap. IV. §. 12. leguntur. Paullo difficiliores sunt duo loci Lucani. Ac prior quidem eorum legitur Pharsal. II. 79. 80. Viderat immensam tenebroso in carcere lucem, Terribilesque Deos scelerum Mariumque futurum. Hunc ita interpretor. Cimber iussu magistratus Minturnensis in carcerem erat missus, ut Marium necaret. Illum propter clarissimi senis conspectum diriguisse ferrumque manu torpente remisisse scriptores narrant, poeta vero ad rem augendam ei simile quid accidisse fingit ut Aeneae in Troiae excidio: Apparent dirae facies inimicaque Troiae Numina magna Deum (Aen. II. 622.). Sed non divinae illi obversatae erant facies, immo ingens lux in summis tenebris ipsum circumdare visa est et figurae Deorum Dearumve, per quos ii, qui scelera commiserunt, terrentur, id est Furiae aliique infernales Dii. Neque autem Bentleii coniecturam terr. Deum facies neque Weisii scripturam Deas probo. Nam pluralis masculinorum numerus, ut in Quaestion. Epicar. p. 40. not. demonstravi, feminina saepissime complectitur: vid. Aen. II. 457. soceri. 579. nati et conf. Hug. Grotium ad Matth. c. 26. v. 72., Burmann. ad Valer. Flacc. VI. 274., Schmid. ad Horat. Epp. I. 2, 44. et Wüstem. ad Theocrit. II. 5. Hinc longe gravior fit illorum monstrorum et portentorum Erebi commemoratio. Ita Sophocles Electr. 112. ed. Herm. *σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐρινύες, αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτ'* in notissima appellatione *σεμναὶ θεαὶ* (vid. Bähr. ad Plutarch. Alcib. p. 183.) divinitatis indicium omittere noluit, quod Reisigius Enarrat. ad Soph. Oedip. Col. v. 41. additamentum inficetum et ieiunum non debebat dicere. Genitivus scelerum idem valet quod propter scelera, ut crebro usurpatur; vid. Virgil. Aen. II. 784. lacrimas dilectae pelle Creusae i. e. propter Creusam.

X. 863. Lausique dolorum Ultor eris mecum i. e. dolorum propter caedem Lausi conceptorum. Cfr. Wagner. ad Aen. I. 462. et de Graecis poetis Matthiae. Grammat. §. 371. c. Similiter Cicero in Verr. I. 3, 9. agunt eum praecipitem poenae civium Romanorum. Cfr. Matth. ad Cicer. p. Rosc. Amer. 24, 67. et Beier. ad Cic. de offic. II. 5.

Alter Lucani locus est V. 123. 124. iussus sedes laxare verendas Antistes, pavidamque Diis immittere vatem. Ambigitur, utrum Dii hic sint pro Deorum i. e. unius Apollinis templo accipiendi an pro mente divina, quam vates Delphica iussu Appii, fati Hesperii ad ultima scrutatoris (v. 122) expromere debet. Quod ad priorem rationem attinet, Deos pro templis, in quibus colebantur, passim commemoratos esse constat: vid. Quaest. Epic. p. 13. et C. Keilii specim. Onomatol. Graec. p. 32. Sed, ut puto, altera in hoc loco praestat ratio. Nam post sedes templi verendas commemoratas Lucanus satis accommodate ad numen, quod illis praesidet, et in cuius consortium, Appio iubente, vates deducenda erat, pervenit, nomine tamen Apollinis ipsius non addito, sed divinitatis tantum notione generatim expressa. Scilicet in re sacra paullo obscurius loqui voluit poeta. Accedit, quod voc. immittere, cuius vis, docente Oudendorpio ad II. 202., propria est de subornatis hostibus et percussoribus, non male translatum esse puto ad violentam illam et ferocem Appii agendi rationem, secundum quam antistes et vates praeter voluntatem ad Apollinis mentem explorandam adigebantur. Ita Graeci contra exspectationem Troianorum in urbem immissi fuisse dicuntur (Virg. Aen. II. 495) et soceri Romanis a femina, ipsis aegre ferentibus, immissi (Ovid. Amor. II. 12, 24). In fine componamus v. irrumpere in rebus sacris similiter usurpatum a Statio Theb. III. 549. piget irrupisse volantum Consilia et Achill. I. 407. Eia, irrumpe Deos et fata latentia laxa, velut contra Thiodamas (Theb. X. 341.) precatur, ut Apollo suam mentem irrumpere dignetur. De cognatis vocabulis plura contulit Drakenborch. ad Sil. Ital. I. 124.

§. 9.

Hactenus de rebus sacris et divinis. Veniamus ad alia numeri pluralis exempla, e quibus praestantiae et pulchritudinis notio fit manifesta. Ita de Daphne legimus apud Ovidium (Met. I. 527). Tum quoque (i. e. in fugiendo) visa decens: nudabant corpora venti Obviaque adversus vibrabant flamina vestes. In q. l. voc. corpora non singulas tantum corporis partes designat, quae est mens Bachii, sed totam praestantis puellae formam, a ventis nudatam et ea de causa magis conspicuam quam sub tegumento vestium, id quod verba sequentia: aucta fuga forma est demon-

strant. Germanici poetae in talibus singularem praeferre solent.*) In loco Tibulli I. 8, 52., quem Bachius contulit (Parce, precor, tenero: non illi sontica causa est. Sed nimius luto corpora tingit amor.) Dissenius recte vidit, os pueri pallidum sub v. corpora intelligi. Sed id non hac de causa factum esse a poeta dixerim, ut singulae partes corporis repraesententur, sed ut oris mentio sit tanquam primae corporis partis, in quam Pholoes oculi incidere eamque ad misericordiam movere debebant. Neque in alio Tibulli loco (I. 10, 62. Sit satis ornatus dissoluisse comae) assentior Dissenio, pluralem propter varias capitis partes usurpatum fuisse. Contra refero ad artificiosam capilli compositionem (vid. Art. Am. III. 139 s.), ita ut, quo magis decora fuit puella, eo gravior ira amatoris, qui ne illi quidem parcit, cogitari debeat. Non est negandum, in talibus singularis et pluralis modo parvam esse differentiam, veluti apud Propertium in eadem re habemus: quid iuvat ornato procedere, vita, capillo (I. 2, 1.). Ita v. arcus plurativo numero legimus in Stat. Silv. II. 1. 143., sed in loco multo graviori Theb. I. 12. ex optimis libris singularis est praeferendus. Tum clipeus, qui apud Virgil Aen. III. 286. est magni gestamen Abantis ab Ovidio Met. XV. 163. plurali numero exornatur: laevae gestamina nostrae.**) Demonstrant, ut puto, eiusmodi plurales inter se cum aliis comparati (vid. Schneideri Grammat. Lat. T. I. P. 2. p. 401.) difficillimum esse negotium certas statuere leges omnesque locos ad stabilem et firmam normam, cuius nulla vestigia in veterum libris exstant, disponere et digerere. Contra bene se habet numerus pluralis in loco quodam Claudiani, qui notioni actionis iteratae notionem pulchritudinis adiunxit. Legitur hic locus in carmine in Consul. Probr. et Olybr. v. 122. ubi hasta Martis immensa cornus appellatur ad imitationem Achillis Homerici (Il. XVI. 143.), cui Chiron Πηλιάδα μελίην dederat, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσι. Haec igitur cornus in hastam Porrigitur tremulisque ferit splendoribus Hebrum. Quem praepositionis in usum apud Claudianum, Statium et Manilium satis frequentem fuisse, aptis exemplis Barthius et Heinsius ad Carm. in Rufin. I. 152. docuerunt, cui addantur quae Handius in Tursell. T. III. p. 316 s. subtiliter disputavit. Illius igitur hastae imago, praeterfluente Hebro repercussa, vv. tremuli splendores indicatur. Nam ut radii solis in flumine splendescunt et hoc illuc in aqua

*) Ita Schillerus in Melchthalii oratione, (Guil. Tell. Act. I. Sc. 4):
wozu lernten wir die schwere Wucht der Streitaxt schwingen?
ut contra Silius Italicus (II. 246) in Therone nodosae pondera clavae praedicavit.

**) Huius usus unam rem vel unum hominem per numerum plurativam significandi luculentissima exempla suppeditant Tragici graeci, de quibus Wakefield. Silv. Crit. IV. p. 48., Hermann ad Viger. p. 739., Porson. ad Eurip. Orest. 1051. et Ellendt. Lexic. Soph. T. II. p. 172. et p. 809. copiose egerunt.

summa tremere videntur suavemque intuentibus adspectum praebent, ita spiculum hastae collustratum a radiis solis (quibus omnes veterum imagines inde ab Homero ornatiores et vividiores redditas esse constat) huc illuc in Hebro flumine micat et tremebundum efficit splendorem. Tali descriptioni accommodate inservit numerus pluralis, ut in loco Ovidiano, quem supra attulimus, Metam. I. 527. et II. 875. de Europa: tremulae sinuantur flamine vestes. Eiusmodi coloribus a natura petitis Claudianus carmina sua illuminare amat, ut in libri secundi in Rufin. v. 177. lateque videres surgere purpureis undantes anguibus hastas, quae verba Gesnerus, ut talium erat praeclarus existimator, de simulacris magnorum draconum, quibus Romani pro signis militaribus illo tempore utebantur, interpretatus est, quae vento inflari, impleri et intumescere, remittente vento concidere et veluti languescere possent. Eadem est ratio alius loci in eodem libro (v. 355 - 357) egregie elaborati: Hic alii saevum cristato vertice nutant, Et tremulos humeris gaudent vibrare colores, Quos operit formatque chalybs. Habemus hic (quae sunt Gesneri verba) rubrum pannum s. textile quiddam partim libere fluctuans per armos, partim autem comprehensum et in plicas crispatum ab ora et commissura galeae, cum thorace. Alia huius graphicae descriptionis exempla, et poetica imaginatione et verborum artificio insignia, in Quaest. Epic. p. 89. tractavimus, quibus addo dulcissima Ausonii verba e Mosellae v. 194 sq. Tota natant crispis iuga montibus et tremit absens Pampinus et vitreis vindemia turget in agris.

§. 10.

Praeter haec, de quibus in superioribus egimus, pluralia, magnitudinis vel praestantiae signa nonnulla restant, quae aliquam cum his notionibus habent cognationem, sed singulari ac fere insolenti ratione a veteribus poetis sunt usurpata. De his igitur singillatim est dicendum. Videntur poetae in horum pluralium usu aut morem dicendi antiquiorem, cuius apud Homerum et populos Orientales exstant vestigia, *) secuti esse aut transgressi fines numeri plurativi solitos nimis vastum (ita Barthius ad Stat. Theb. V. 422. loquitur) dicendi genus pro simpliciore oratione elegisse. Agmen exemplorum Martialis ducat, qui Epigr. X. 25, 2. de Mucio Scaevola dixit: imposuit qui sua membra focis, de una tantum manu. Hunc excipiant duo Claudiani loci, unus in Rufin. I. 200. Fabricius parvo (con-

*) Ita Veneris στήθεα ἱμερόεντα in Iliad. III. 397., Telemachi ἅρματα Odyss. IV. 42., σάρκες de una bestia IX. 242. et al., Circes δώματα X. 242. ubi vid. Nitzsch. T. III. p. 118.

tentus) spernebat munera regum, alter in IV. Consul. Honor. 413. pauper erat Curius quum reges vinceret armis. Agitur in utroque loco de Pyrrho, qui unus e pluribus regibus discretive, ut veteres loquebantur philologi, designatus est. Cfr. Gataker. Advers. Miscell. II. 15. p. 351 s.*) Similiter Rutilius Namatianus I. 555. Exiguus regum rectores cespes habebat. Qui loci, ut statim sequentes, ne ad quartam classem referantur, facit quietum dicendi genus, quum qui loci supra excitati sunt fere omnes sint ex commotiori oratione delecti. Tum constanti fere usu portae a poetis Latinis de una porta dicuntur, ut a Virgilio Aen. VI. 631. et XI. 499.: deinde Scaeae portae in urbe Troiana ib. II. 612. et Antenoreae, Dardaniae, Iliae apud Daret. Phryg. p. 158. ed. Amstelod., denique Thebarum portae Ogygiae, Neistae (ita Ungerus Parad. Theb. T. I. p. 304 sq. et Schubart. ad Pausan. IX. 25, 1.) Homoloides, Proetiades (ut idem Ungerus p. 296.), Electrae, Hypsistae, Dircaeae apud Stat. Theb. VIII. 353-357. Praeiverant quidem in hac re Graeci qui elegantius locuti sunt et imprimis Homerus (vid. Casaub. ad Theophr. Charact. XIV. p. 163. ed. Fischer.), sed nostris quoque poetis talem dicendi morem ob varias causas placuisse quotidie videmus. Transiit haec consuetudo deinde ad illos prosae scriptores, qui purae et castae orationis fines libenter relinquunt, ut apud Florum legimus I. 1, 12. de una porta, quae Tatio regi aperta fuit: Sabinis proditae portae per virginem, ubi vid. Duker et Unger. l. c. p. 199. Ovidius vero in eadem narratione Fast. I. 265. et Met. XIV. 780. singularem numerum retinuit. Similis generis sunt epistolae (sicut literae) apud Iustin. I. 5, 10. et 6, 1., apud Plin. Epp. X. 5. et 15. (cfr. Rittershus. ad loc. pr. Plinii atque Freinshem. ind. Iustin. s. v. Epistola) et barbae apud Petronium: stetit in limine barbis horrentibus nauta (cap. 89.) Ad h. l. recte Burmannus: non carpi potest Petronius, quod barbas hominibus tribuit (id quod grammatici in eo vituperaverunt), sed quod uni nautae: quod tamen studio fecisse puto, ut graphice horrorem et hispidum nautarum habitum describeret, quorum barbae tam incultae esse solent, ut una multarum barbarum instar habeat.**) Denique Tacitus ad significandam excellentiam, non ut augeat rem (quae

*) Plurima viri eruditissimi exempla e sacris scripturis sunt deprompta, quorum unum modo commemorabimus. Legimus Iudic. 12, 7. de Iephtha: sepultus est in urbibus Gileaditicis, i. e. in harum una aliqua, neque ad fabulas Talmudicas est declinandum, Iephtham scilicet, quod sine prole e vita dicessurus esset, ideo praecepisse, ut ossa sua per singulas Gileaditarum urbes distracta sepulturae mandarentur, quo nominis sui monumentum aliquod singulae obtinerent.

**) In Vitruvii loco (VI. 7. al. 10), voc. itinera bis de una via, non de pluribus, Schneiderus et Becker. Charicl. T. I. p. 197. intellexerunt.

sunt Wolfii verba ad Annal. II. 8.), sed ex solo usu Latinitatis, ut in opere paullo maiore, pluralem pro singulari admisit. Vid. Annal. IV. 7. monumenta Pompeii, i. e. theatrum ab uno Pompeio conditum, sicut a Cicerone p. Mil. 7, 17. Clodius dicitur interfectus in maiorum monumentis i. e. in via Appia, ab Appio Caeco munita: Ann. XIV. 29. provinciae de una provincia Britannia, quam se Neroni subiecturum esse Veranius (cuius ambitio numero plurativo bene indicatur) gloriatus fuerat, Agric. 15. Germaniae de Germania magna. Cfr. Bach. ad Annal. XIV. 25. et qui ab eo citantur. Eadem ratione fossa illa Drusiana (Annal. II. 8.), quam Suetonius Claud. 1. fossas novi et immensi operis appellavit, explicanda est. Sed recte Bachius in Annal. III. 72. Lipsium secutus esse videtur scribendo: Aemilia monumenta non Aemilii monumenta, quum non ab uno quodam Aemilio, sed a pluribus huius gentis illa basilica exstructa esset. Quod quum Lipsius historicis documentis adstruxisset virum magnum carpere non debebat Ernestius.

Sed ad poetas redeamus, qui insolentius in hoc genere locuti sunt. Primus illorum est Horatius Carm. I. 14, 7. Nonne vides, ut — Antennae gemant ac sine funibus Vix durare carinae Possint imperiosius Aequor? Omnia haec verba latus, malus, antennae et in seqq. lintea ad unam navem manifesto referuntur, de qua v. carinae poni potuisse Scaliger aliique negarunt. Quam ob rem Bentleius legit gemunt et possunt sine interrogationis nota perque carinas intelligit ipsas naves, ut adeo de una capi non sit necesse. Cui tamen rationi Schraderus Animadv. ad Musaeum p. 81. ed. Lips. omnesque recentiores interpretes iure occurrerunt, e quibus modo Orellius et Meinekius interrogationis notam sustulerunt. Quod ab iis factum esse nollem, nam hoc signo addito clarius indicatur, non desperantis sed anxie timentis esse verba, quae dubitationem quandam exprimunt, num fieri id possit, quod vel maxime nunc timetur. Sed quod ad pluralem attinet nulla aptior est excusatio (si tali opus est) quam Ianii et Orellii interpretatio, Horatium contra vulgarem consuetudinem exemplo fortasse alicuius antiquioris poetae plurali numero usum esse, ut saepe ponantur limina, tecta de una domo*). Mox v. 14. puppes sunt aperte de una navi ut Ovid. Her. II. 45. At laceras etiam puppes furiosa refeci, Ut, qua desererer, firma carina foret. Comp.

*) Lübkeri iudicium in commentar. Horat. p. 118. de v. carinae hoc est: „*der auszeichnende Plural steht auch sonst oft, wo nicht das einzelne Ding als solches, sondern als Repräsentant seiner Gattung aufgeführt werden soll, um an seine eigenthümliche Beschaffenheit, Stärke oder Schwäche zu erinnern. So steht Ovid. Met. XIII. 196. Iliacas arces* (cfr. supra cap. II. §. 6.) *von der einen Burg Ilium, so Troianae urbes Virg. Aen. VII. 364., ohne dafs man einen bestimmten Grund angeben kann.*“

Stat. Theb. XI. 629. Casta manu subtraxerat enses Antigone de uno gladio. Itaque nulla tentetur locus mutatione, ad quam Orellius ne locum quidem Ciceronis de Orat. III. 46, 180., in quo latera et carinae coniunctim commemorantur, adhibitum vult neque meliorem illorum verborum scripturam, quae est cavernae p. carinae. Cavernae navium sunt, teste Servio ad Virg. Aen. II. 19., fustes curvi navium (die Rippen), quibus extrinsecus tabulae affiguntur. Simili difficultate locus Statii in Thebaid. V. 452. Lutatio aliisque e veteribus interpretibus laborare visus erat. Verba haec sunt: Quinquaginta illi, trabibus de more revinctis, — quatiunt nova litora saltu. Sed recte Barthius in hoc loco, licet de una Argonautarum navi loquatur poeta, trabes de remis intelligendas esse ostendit, qui singulis Argonautarum assignati erant et qui a mole sua et quia Statius vasta omnia eloqui amat, hoc vocabulo appellantur. Revinciendi autem erant remi, ne ventis et fluctibus impulsi navem statione pellerent.

Alter locus iterum est Horatianus Carm. III. 16, 15. Munera navium Saevos illaqueant duces. Ad q. l. Torrentius: ad sua tempora respexit, ut de Mena Sexti Pompeii liberto. Noluit quidem poeta illum appellare virum, qui omnibus Romanis ita notus erat, ut nomen commemorare non esset opus, quem tamen impune tangere potuit, quum ab ipso Augusto proditor, ut fit, contemneretur, auctoribus Suetonio Aug. 74. et Dion. Cass. XLVIII. 45. et XLIX. 1. Sic bene Ianius, cuius verba Orellius repetiit. Similis est reticentia in loco Lucani X. 68. 69. de Caesare et de Cleopatra: Hoc animi nox illa dedit, quae prima cubili Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.

Tertium adiungamus insoliti illius moris testem Virgilium in Aeneid. X. 36. Quid repetam exustas Erycino in litore classes? Nam una tantum fuit Aeneae classis, quae per Iunonis invidiam in Troianos combusta erat. Sed summus Veneris affectus et gravis indignatio ob insignia illa, quae Aeneas perpessus erat, mala orationem illius tantopere augent, ut pro singularum navium commemoratione plures classes combustas fuisse conqueratur. Quae dicendi ratio a communi quidem loquendi usu recedit, minime vero ab usu et veterum et recentiorum poetarum. Deinde in hoc loco ordinem temporum non servatum et combustionem classis in libro quinto Aeneidos enarratam ante descriptionem tempestatis, quae in libro primo legitur, collocatam iam Wagnerus notavit. Sed idem in tam brevi rerum gestarum enumeratione ordinem temporum a poeta non anxie servandum fuisse recte addidit, cuius rei ne ab historicis quidem ubique servatae exempla posuerunt Wunderlich. et Spohn. ad Virg. Eclog. VI. 41. Similiter Tibullus I. 3, 47. Non acies, non ira fuit,

non bella: nec ensem Immiti saevus duxerat arte faber, ubi ira ut causa bellorum cetera verba debebat praecedere, et Stat. Theb. III. 563. nos pravum et debile vulgus Scrutamur penitus superos, hinc pallor et irae, Hinc scelus insidiaeque et nulla modestia voti. Scilicet palloris, irae, sceleris insidiarumque causa est votorum immodestia. Cfr. Theogn. 726-729. *καὶ τίνα θυμὸν ἔχοι Ὁππότ' ἀνὴρ ἄδικος καὶ ἀτάσθαλος, οὔτε τι ἀνδρῶν Οὔτε τι ἀθανάτων μῆνιν ἀλευόμενος, Ὑβρίζει, πλούτῳ κεκορημένος*, in quibus iterum causa superbiae, quae est divitiarum abundantia, ultimo loco posita est, et id praecessit, quod gravioris est momenti, ut apud Philostrat. Imag. I. 29. *ὁ δὲ ἀφίκετο* (Amor) *καὶ ἤκουσε τοῦ Ἕλληνος* (Persei). Quae si cui paullo negligentior orationis forma videatur, is cogitet, poetam primum ad res sibi propiores atque ad eventum respexisse, tum ad causam, quibus illae originem suam debebant. Consimili ratione *πρωθύστερα* illa, quibus feracissimi sunt Graecorum poetae, maximam partem explicanda esse censeo, veluti Homericum illud *τράφεν ἠδ' ἐγένοντο* (cfr. Schaefer. ad Soph. Oed. Tyr. 827. et Nitzsch. Annotat. ad Hom. Odyss. T. I. p. 251. T. III. p. 386.) et multa alia quae congessit Schaefer. l. c., tum ad Soph. Trachin. 232. et in Melet. Critic. p. 16. et p. 82.

Caput quartum.

De amplificatione per pluralia in oratione indefinita.

§. 11.

Distinximus in superioribus capitibus ea pluralia, quae in quieta et leni ratione dicendi posita sunt, ab iis, quae poetae in incitato sermone atque in commotiore carminum genere usurparunt. E quibus quum alterum genus amplificationem, quae est propria et praecipua pluralium vis, maxime adiuvisse videatur, restat, ut de eodem copiosius agamus et illam loquendi rationem, quam indefinitam brevitatis causa dicimus, illustremus. Huius dicendi moris varii sunt fontes. Sive enim poetae latini rem aliquam vel Deum vel hominem ita tangunt, ut numero plurativo iudicetur, qualis sit vel qua versetur in conditione, cuius usus pro diversa singulorum locorum indole diversae causae esse possunt, sive in hoc numero obscuritatem aliquam de consilio quaesitam inesse voluerunt, sive res per

prudentiam caute dissimulare vel hominum mores fortunasque, nomine ipso non adiecto, eo liberius aut augere aut diminuere solent, sive denique urbanitatem aliquam et modestiam per usum huius numeri declarant. Quadruplicis igitur huius generis exempla apponamus.

Primi generis optimum testem habemus Virgilium, qui quum ipse poeta fuerit perspicuitate eminentissimus, suo exemplo satis docet, Latinos poetas hanc indefinitam dicendi rationem, quae a recentiorum consuetudine abhorret, non pro impedimento, immo pro ornamento carminum habuisse. Ita in Aeneid. X. 79. inter ea, quae Aeneas male et policiter perpetrasse dicitur, Iuno enumerat: Quid, soceros legere et gremiis abducere pactas? etsi una tantum in hoc loco intelligitur Lavinia. At satis accommodata est haec amplificatio commoto Iunonis animo. Cfr. XII. 60. Unum oro: desiste manum committere Teucris, quae numeri permutatio menti Amatae optime convenit, quippe quae Aeneam non proprio nomine, sed communi aliquo appellatum esse vult. Ibid. 658. Mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet aut quae sese ad foedera flectat. Inest reprehensio quaedam Turni, cuius auxilium Saces in gravissimo pugnae discrimine implorat, quasi rex Latinus cunctatione Turni, quem, aliis insciis, Iuturna soror a pugna retinet, redditus sit paullo iratior. Simili ratione Comici numero plurativo utuntur, ut Plaut. Curcul. IV. 3, 14., ubi Therapontigonus: Quas tu mihi tabulas? Quas tu mihi luscos libertos? quos Summanos somnias, quae omnia Lyco versu antecedenti in numero singulari posuerat, tum Terent. Adelph. V. 7, 9. Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas (haec modo erat una), ad q. l. recte Donatus: „bene totum pluraliter, ut qui reprehendit“, et tum: „haec igitur vultu pronuntianda sunt, ut appareat, ea displicere dicenti.“ Sed in primis hanc loquendi consuetudinem tres illustrant Virgiliani loci libri, quem modo excitavimus, duodecimi, quorum prior legitur v. 798. 799. Aut ensem — Ereptum reddi Turno et vim crescere victis? Ad h. l. egregia est Wagneri annotatio: „non idem significat victis quod victo: saepe enim pluralis numerus ad unum refertur, ut indicetur, qualis is sit vel qua versetur in conditione: ita victis est i. q. ei, qui pro victo iam habendus. Sic de uno Prometheo Aeschylus Prom. Vinct. 67.: *σὺ δ' αὖ κατοκνεῖς, τῶν Διὸς τ' ἐχθρῶν ὕπερ στένεις* i. e. de tali qui est adversarius Iovis. Nos id exprimimus per articulum indefinitum: einem Besiegten: contra victo esset: dem besiegten.“ Contulit idem Wagnerus v. 876. Nec me terrete timentem, obscenae volucres: i. e. avis una ex earum genere, quae obscenae s. mali ominis sunt, et v. 947. Tune hic spoliis indute meorum Eripiare mihi? i. e. unius ex illorum numero, quos carissimos habeo. Praeterea cum his exemplis similitudinem habent, quae cap. III. §. 8. de voc. Dii disputata sunt. Comp. Cic. Philipp. X. 3, 7. Nisi forte eos,

qui diadema imposuerint, conservandos, eos, qui regni nomen sustulerint, deserendos putatis, quibus verbis Antonius et Brutus sibi opponuntur. Sed unus fuit Antonius, plures tamen qui diadema tollendum esse voluerant, e quibus Brutus princeps, itaque Ciceronem in talibus locis, ut pro Flacc. 2, 5. (socii consiliorum, ministri comitesque vexantur, quid auctores, quid duces, quid principes sibi exspectent) aliquid concinnitati dedisse puto, de qua in Introductione p. 4. not. dictum est.

§. 12.

Quum igitur poetae certas res vel homines non proprio nomine, sed ex re adiuncta, in plurali numero ponere solerent, iidem (id quod alterum indefinitae orationis genus esse statuimus) obscuritatem saepius de consilio quaesiverunt. Hoc maxime in effatis divinis rebusque mythologicis factum esse observamus. Sic Virgilius in Aeneid. VII. 96. Ne pete connubiis natam sociare Latinis et v. 98. Externi veniunt generi, qui duo loci sunt ex oraculo deprompti. Cfr. VIII. 503. externos optate duces, ex haruspicis responso de uno duce, Aenea, cui comparamus verba Amatae VII. 359. Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris, nisi quis haec ad prius genus aptius pertinere putet, et Ovid. Fast. III. 576. Tertius ibat Annus et exsulibus terra petenda nova est. Haec verba de una Anna intelligi malo quam de Anna et comite (v. 565), quum ipsius Annae Perennae sint gravissimae in tota narratione partes. In fine addimus exemplum ex eiusdem libri v. 409. 410. Ampelon intonsum Satyris Nymphaque creatum Fertur in Ismariis Bacchus amasse iugis. Heinsius recte scripsit Satyris ex optimis libris, quem Burmannus, Gierigius, Krebsius secuti sunt. Sed Burmannus, ut est interdum nimis proclivis ad res naturales *), se hanc scripturam ea de causa recepisse testatur, quod Ovidius Nympham vulgato corpore et concubitu oblique indicare voluerit. In qua re falsus est doctissimus Nasonis interpres. Nam si Ovidius aliquid turpius in Nymphas, quibus poetam iniquiorem fuisse Burmannus ad Metam. II. 452. pronuntiavit, aut obscenius dicere voluisset, profecto illud argumentum uberius persecutus fuisset. Contra Ovidius de re obscuriori atque de Nympha aliunde non nota mentionem faciens ipse quoque obscurius loqui maluit, sicut non raro in narratio-

*) Cfr. annotata ad Aen. VII. 493, VIII. 373. et ad Ovid. Her. XVI. 241., e quibus tamen haec ut incongrua ipse in Addend. ad Heroid. T. IV. p. 246. damnavit. Quo magis talia commenta miremur, facit iustum Burmanni de insana Cerdae interpretatione loci Virgiliani Aen. X. 325. iudicium in annotat. ad Valer. Flacc. III. 317. Prudenter, qui ipsius fuit mos, de talibus scripsit Gesnerus in Isasog. in Erudit. Universal. T. II. p. 412. ed. Niclas.

nibus, quae rumoribus errabant (Fastor. III. 543), mythologicis factum esse videmus, ut egregie docuit Welcker. ad Philostrat. p. 418. Neque boni interpretis esse putamus, talia ad vivum resecare, id quod Burmanno nonnullis iu locis accidit, ut in Ovid. Her. X. 147. interroganti ad verba: Hos tibi, qui superant, ostendo moesta capillos: „quomodo ostendere poterat capillos Theseo tam longe absenti.“ A tali dubitatione eum iam vv. 135-138. revocare debebant, itaque recte Loersius: „hoc argutari est.“ Vid. similes interpretationes ad Aen. VIII. 143. et ad Metam. II. 339.

§. 13.

Tertium genus indefinite positi pluralis id fecimus, per quem res certae caute et prudenter dissimulantur vel mores fortunaeque hominum, nomine definito omisso, eo liberius aut augentur aut diminuuntur. Cuius generis est v. terrae, de quo tamen difficilius est statuere, iudice Wagnero in Quaest. Virgil. IX. p. 412. Eo libentius illius verba apponimus: „Ubi non est, cur de magno aliquo tractu, aut de variis terris cogites, singularis praeferri solet. Sed ea res quum saepe pendeat e iudicio poetae, in simili ceteroquin oratione et singularem et pluralem invenies, ut Ge. I. 330. quo maxima motu terra tremit, at ibid. II. 470. unde tremor terris, et sic similia. Scite tamen Aen. I. 333. coelum terramque miscere, etsi alibi, ubi haec iunguntur, coelum terrasque legitur. Et ad regiones significandas quum et singularis et pluralis adhibeatur, hic tamen numerus ignotas maxime indicat, ut Aen. II. 800. in quascunque abducere terras; cfr. etiam III. 601., III. 4. quaerere terras. Ecl. III. 104. et 106: dic quibns in terris.*) Terra, singularis, de terra, ut arborum, fruticum, herbarum altrice (Georg. II. 136. 286): porro de humo, quod infinitis locis probatur: inde de agro arando: sed ubi non subest certi cuiusdam loci notio, invenitur et iam pluralis: Georg. II. 37.: neu segnes iaceant terrae, ib. 45. in manibus terrae. III. 525.: quid (iuvat) vomere terras Invertisse graves. De solo variisque soli generibus singularis et plnralis, ut fert oratio.“ Iam, quum ad res vivas pergamus, plurium numero pro singulari usus est in exaggeratione rei gravis et horrendae Statius Theb. IV. 533. Quid tibi monstra Erebi, Scyllas et inane furentes Centauros, qui modus indefinite loquendi perinde valet ac si dicas: Cerberum vel Scyllam vel alia huiusmodi monstra. Comp. Ovid. Her. IX. 37. 38. Inter serpen-

*) Rarior est pluralis v. γῆ, ut apud Homer. Odyss. XII. 403. et XIV. 302. οὐδέ τις ἄλλη φαίνετο γαιάων, ἀλλ᾽ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα. Hic singulae terrae opponuntur mari. De aliis scriptoribus vid. Nitzsch. ad loc. pr.

tes aprosque avidosque leones Iactor, et esuros terna per ora canes. Ita cum Loersio e felici Heinsii coniectura locum scribendum esse censeo neque antiquam scripturam cum Iahnio revocandam: et haesuros cerno per ossa canes. Nam poeticus loci color augetur, si Deianiram periculis illis, quae Hercules suus obiit, vel in somniis ita territam et cruciatam fingimus, ut ne Cerberus ab illo domitus (quod facinus erat gravissimum inter Herculis labores) in illa enumeratione desit, contra canes, qui iam in ossibus viri interfecti haesuri sunt, diram et foedam praebent imaginem, licet v. 36. Deianiram timentem legamus: infesto ne vir ab hoste cadat. Deinde illa per pluralem amplificatio indefinita quidem sed legentibus facilis intellectu, praegressis pluralibus bene congruit, cuius rei testimonium Loersius ex Longini libro de sublimit. sect. 23. apte attulit. Haec sunt illius verba: *ἐκεῖνα μᾶλλον παρατηρήσεως ἄξια, ὅτι ἔσθ᾽ ὅπου προςπίπτει τὰ πληθυντικά μεγαλοῤῥημονέστερα, καὶ αὐτῷ δοξοκομποῦντα τῷ ὄχλῳ τοῦ ἀριθμοῦ.* Ex eo genere idem vult esse locum Soph. Oed. Tyr. 1390. (ed. Herm. 1395.), in quo coacervantur *γάμοι, πατέρες, ἀδελφοί, παῖδες, νυμφαί, γυναῖκες, μητέρες,* quae tamen omnia unum nomen Oedipi, et ex altera parte Iocastae significant; *ἀλλ᾽ ὅμως* (ita Longinus pergit) *χυθεὶς εἰς τὰ πληθυντικὰ ὁ ἀριθμὸς συνεπλήθυνε καὶ τὰς ἀτυχίας.* Adiciiamus plures eiusdem tragoediae locos, unum v. 367. *λεληθέναι σε φημὶ σὺν τοῖς φιλτάτοις | αἴσχισθ᾽ ὁμιλοῦντ᾽, οὐδ᾽ ὁρᾶν ἵν᾽ εἶ κακοῦ,* in quo pluralis *τὰ φίλτατα* ad solam matrem refertur, (cf. Ellendt. Lex. Soph. T. II. p. 914.) ut ad patrem in v. 1184. *ὅςτις πέφασμαι φύς τ᾽ ἀφ᾽ ὧν οὐ χρῆν, ξὺν οἷς τ᾽ | οὐ χρῆν μ᾽ ὁμιλῶν, οὕς τέ μ᾽ οὐκ ἔδει κτανών.* Add. 1520. *ἔνθα δύστηνος διπλοῦς | ἐξ ἀνδρὸς, ἄνδρας καὶ τέκν᾽ ἐκ τέκνων τέκοι* ut recte scripsit Hermannus. Quartus locus legitur v. 408. *Λαβδακίδαις (εἰμὶ) ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων,* in quo *Λαβδακίδαι* de uno Laio sunt dicti, cui plurativo numero poeta, ut obscuram in carmine lyrico augeret dictionem, adiunxit *ἀδήλους θανατοὺς* ad varios, qui de morte Laii dissipati erant, rumores significandos, (vid. supra Cap. I. §. 3.) sicut Virgilius Venerem, de Aeneae sorte sollicitam, Iunonia commemorantem hospitia fecit (Aen. I. 671.). Hoc enim plurali simulatum illud hospitium et cum magnis coniunctum periculis indicari voluit poeta. Contra laetitiae signum est pluralis in Soph. Electr. 1225. *ἰὼ γοναί | γοναὶ σωμάτων ἐμοὶ φιλτάτων | ἐμόλετ᾽ ἀρτίως,* quibus verbis Orestes a sorore compellatur, quasi dixisset *σῶμα ξυναίμον φιλτάτου.* Neque sine idonea causa a Virgilio in Aen. VIII. 379. scriptum esse puto: Quamvis et Priami deberem plurima natis. Scilicet apud Vulcanum maritum, ad quem sermonem Venus convertit, maluit gentis Priami quam unius Paridis mentionem facere.

Commemoratione v. nati iniecta usum frequentem huius verbi et cognatorum, ut

liberi, patres, parentes, reges, non praetereundum esse censemus. Locus legitur Aen. II. 577-579. Scilicet haec (Helena) Spartam incolumis — Adspiciet — Coniugiumque domumque patres natosque videbit. Habet quidem Wagnerus hunc versiculum pluribus de causis ineptissimum eumque abire iussit, unde irrepsit. Sed quo minus illi assentiamur impediit Iahnius, cuius verba, sententia iam prius a nobis probata, ex altera Virgilii editione (p. 460.) nostra facimus: „noli haerere in eo, quod Helenae parentes, qui voce patres significari dicuntur, dudum mortui erant, neque illa plures natos, sed unam filiam Hermionem, habuisse creditur. Quem enim Scholiastes Sophocl. Electr. 532. commemorat filium Nicostratum, is post reditum natus esse videtur. Sed si quis in patriam redit, is ad parentes avosque redire dicitur, quamvis dudum illi mortui sint. Consulto autem poeta coniugium, patres, liberos domumque generatim enumeravit, ut omnia complecteretur, quae redeunti solent esse carissima eoque gravius Troianorum opponeret sortem, omnibus his privatorum. Quicunque igitur cum Wagnero et Forbigero hunc versum propter patres natosque commemoratos absonum atque ab interpolatore quodam additum esse credunt, videant, ne poetam cum historico confuderint atque interpolatori, qui illa addiderit, elegantius subactiusque iudicium tribuerint quam poetae.“ Comparari potest locus Taciti Annal. II. 71., in quo Germanicus in oratione ante mortem ad amicos habita, parentes, liberos, patriam ut res carissimas complectitur. Atqui unica parens supererat, Antonia mater, Druso iam pridem mortuo. Sicut igitur nati in loco Virgiliano de una filia ponuntur, ita v. liberi de uno filio filiave non solum in liberiori scenicorum poetarum sermone (vid. Terent. Andr. V. 3, 30., Hecyr. II. 1, 15), sed etiam apud Ciceronem in orationibus saepe legitur. Vid. pro lege Manil. 12, 33. An vero ignoratis — ex Miseno eius ipsius liberos (i. e. M. Antonii, qui unam tantum habebat filiam), a praedonibus esse sublatos. Catil. I. 2, 4. occisus est cum liberis (uno filio) M. Fulvius. Pro Sest. 24, 54. Vexabatur uxor mea, liberi (unus filius) ad necem quaerebantur. Cfr. Manut. et Matthiae. ad loc. orat. p. leg. Manil., Duker. ad Flor. IV. 3, 2., Drakenb. ad Liv. Epit. 116., Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 58., atque Beier. ad Cic. Oratt. Ined. p. 158. et 159., e cuius tamen exemplis nos nonnulla aliter disposuimus. In talibus locis Cicero primum uni Antonio, Fulvio, aliisque plures cum gravitate quadam opposuit eosque liberos dixit, ut statim appareat, quantum fecerint parentes iacturam, quum tota, quae per liberos comparari solet, felicitas domestica plane sit exstincta neque ulla spes supersit, illam per prolem aliquam iri restitutum. Notabilis in hanc rem locus est Ciceronis ex Epp. ad Attic. VIII. 2, 3. Vagamur egentes cum coniugibus (Terentia) et liberis. Simili ratione apud Tacit. Annal. II. 57.

ipsum et Plancinam et filios variis modis criminari, in q. l. Lipsius v. filios sollicitare non debebat. Cfr. Arntzen. ad Aurel. Vict. Caes. 26, 4.

Vocabula patres et parentes, quae supra commemoravimus, de utroque parente saepe a veteribus poetis sunt posita, ut apud Stat. Theb. II. 462., apud Claudian. Bell. Gild. 389. et Ovid. Metam. IV. 61. ubi vid. Burmann., porro soceri de socero et socru (Aen. II. 457. cfr. Burmann. ad Val. Fl. VI. 374), fratres pro fratribus et sororibus, filii de filio et filia (cfr. Ruddimann. Institut. T. II. p. 36. 37.), nati de nato et nata (Ovid. Metam. VI. 338), reges de rege et regina: comp. Bentlei. ad Horat. Satir. I. 1, 100. et Held. ad Caes. de bell. civ. III. 107., Augusti de Theodosio atque uxore apud Claudian. Laud. Stilich. I. 78., quem locum Gesnerus feliciter explicuit. Plane idem dicendi mos est poetis Graecorum. Ita Homerus in Odyss. IV. 335-339. v. ἀμφοτέροις de hinnulis duobus atque de matre cerva collocavit, quod vocabulum omni vi careret, si non mater eo numero inclusa esset. Ita iudicarunt Schaefer. ad Lamb. Bos. p. 291. et Wagner. ad Virg. Aen. I. 458., minus recte Nitzsch. Annotat. in Odyss. T. I. p. 264. Tali compendiaria dicendi ratione usus est Euripides in Hercul. fur. 14., socerum et socrum appellans πενθεροὺς, atque Longus IV. p. 138. Schaef. τοὺς πατέρας dicens de patre et matre. Cfr. Meinek. ad Euphor. fragm. p. 10.

Ad idem dicendi genus illa nominum propriorum pluralia referenda esse videntur, quae ut nomina celeberrima et reverenda eo magis ornant orationem, quod id, quo unus vir fortis olim inclaruit, plurativo numero ita augetur, quasi alii homines exstitissent, viro magno haud dissimiles. Contra vituperationi et laudis imminutioni tales plurales interdum inserviunt, ut apud Cicer. Brut. 69. 244. Hoc vero non putabam, te usque ad Stalenos et Autronium esse venturum, ubi vid. Ellendt. Cf. Gataker. loc. cit. p. 355. Sed prioris generis exempla sunt multo crebriora, ut apud Virgil. Georg. II. 169. Decii, Marii, magnique Camilli. Aen. VI. 824. Decii Drusique. Add. Lucan. VI. 787., VII. 387., X. 150., tum Horat. Epp. I. 1, 64. et II. 2, 117. ibiq. Schmid., atque Claudian. Olybr. et Prob. 147-149. Cfr. Cort. ad Lucan. I. 213. et Lobeck. ad Soph. Aiac. 190. In prosariis scriptoribus leguntur Polycleti et Parrhasii in Cicer. Tuscul. I. 2, 4., Paulli, Catones, Galli, Scipiones, Phili in libro de amicit. 6, 3., et de orat. I. 48, 210. Africani et Maximi, ad q. l. plura adscripsit Ellendtius T. II. p. 120 s.

§. 14.

Quartum genus cernitur in illo numeri pluralis usu, qui modestiae vel urbanitati inservit. Qua ratione hic mos cum indefinita illa, de qua supra locuti sumus, pluralis nu-

meri collocatione cohaereat, clarius, ut opinor, apparebit, si plurali numero non modo vim amplificationis seu exaggerationis inesse reputamus, sed etiam notionem communicationis et cuiusdam quasi societatis cum iis, a quibus verba nostra leguntur vel audiuntur, per eundem numerum significari statuimus. Inde fit, ut qui de se ipsis loquentes numero utuntur plurativo non tantum ad se respiciant, sed etiam ad singulos alios, quibus cum re, de qua agitur, aliquam cognationem esse sciunt, sententiamque suam non arroganter pronuntiare, sed cum ceteris inter legendum vel scribendum communicare videantur. Ex hac familiaris sermonis consuetudine crebra illa verba: ut praediximus apud Velleium Paterculum (vid. Kritzii Prolegom. p. XLVI.) iudicanda sunt. Nam unum locum II. 44, 2., in quo est ut praedixi, recentissimi interpretes iure correxerunt. Tantum igitur abest, ut ille pluralis, quem priores grammatici vocarunt pluralem maiestatis, fastus et superbiae habeat notionem, ut sit modeste loquentis, qui quod ad ipsum solum pertinet, ad alios quoque transferre cupit. Ea de causa iam Servius ad Virg. Aen. II. 89. pluralem numerum pro singulari ad evitandam iactantiam positum esse docuit. Cfr. Ramshorn. Grammat. Lat. §. 203. p. 659. et Zumpt. Gramm. Lat. §. 694. Huic Serviano iudicio comparentur quae de se ipso tradidit Plutarchus Praec. Reipubl. Ger. cap. 20. T. IX. p. 251. R. *Μέμνημαι νέον ἐμαυτὸν ἔτι πρεσβευτὴν μεθ' ἑτέρου πεμφθέντα πρὸς ἀνθύπατον, ἀπολειφθέντος δέ πως ἐκείνου, μόνον ἐντυχόντα καὶ διαπραξάμενον· ὡς οὖν ἔμελλον ἐπανελθὼν ἀποπρεσβεύειν ἀναστὰς ὁ πατὴρ κατ' ἰδίαν, ἐκέλευε μὴ λέγειν, ᾠχόμην, ἀλλ', ᾠχόμεθα· μηδὲ, εἶπον, ἀλλ', εἴπομεν, καὶ τἄλλα συνεφαπτόμενον οὕτω καὶ κοινούμενον ἀπαγγέλλειν· οὐ γὰρ μόνον ἐπιεικὲς τὸ τοιοῦτον καὶ φιλάνθρωπόν ἐστιν, ἀλλὰ καὶ τὸ λυποῦν τὸν φθόνον ἀφαιρεῖ τῆς δόξης.* Itaque numerus pluralis in regum principumque edictis et epistolis ad cives subiectos non tantum usu*), sed etiam re ipsa satis confirmatus est. Neque vituperandi sunt, auctore Iac. Grimmio, qui vir non minus doctrinae quam modestiae laude clarus est, in Grammat. Germ. T. IV. p. 299., recentiores scriptores, qui eundem numerum in libris conficiendis et censuris exarandis retinuerunt. Qui si tales sunt, quales esse debent, id est literis et eruditione multitudine superiores, tum ille per numerum pluralem dicendi mos, qui ceteros una comprehendit, homines doctos non sibi solum sapere, immo (quod in censores librorum praecipue cadit) plurium nomine et pro magistro societatis suae aliquid composuisse significat efficitque, ne alii se ab illis notatos vel reprehensos esse moleste ferant**). Cuius rei exempla Rothius in Excurs. III. in Tacit. Agric. p. 110. scite e Sallustii Catilina deprompsit.

*) Vid. Mabillon. de re diplomat. II. 6, 3., C. Fr. Moser. in: Versuch einer Staats-Grammatik p. 197 sq. et Grimm. l. c.

**) Tuiti sunt hunc numerum pluralem nostra aetate duo scriptores ingenio et doctrina florentissimi, Lud.

Hic enim scriptor singulari usus est in primo limine operis, ut se ipsum magis familiarem reddat lectoribus: cfr. 1, 3. quo mihi rectius videtur, 2, 9. is demum mihi vivere atque frui anima videtur, 4. 1. mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi: idem fit cap. 53, 2. (mihi multa legenti, multa audienti), ubi quasi per longiorem digressionem de causis magnitudinis Romanorum disputavit. Modestius vero in cap. 7, 10. per pluralem locutus est: ni ea res longius nos ab incepto traheret, et cap. 19. 6. nos eam rem in medio relinquemus, quasi non partes haberet scriptoris illius libri, sed peregrini cuiusdam spectatoris. Similiter Tacitus Annal. IV. 3I. Pleraque eorum, quae retuli quaeque referam, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere.

E locis poetarum, in quibus unus de se ipso loquens numero plurativo usus est, sunt hi: Virgil. Aen. II. 89. Et nos (i. e. Palamedes) aliquod nomenque decusque Gessimus. Ovid. Her. XVI. 85. Nos dabimus quod ames de Venere ad Paridem, ut Iupiter ad Apollinem apud Homer. Il. XV. 224.: *ἀλευάμενος* (Neptunus) *χόλον αἰπὺν Ἡμέτερον*, qui usus v. *ἡμετέρος* p. *ἐμὸς* iterum reperitur Odyss. XI. 562. in mitissima Ulyssis ad Aiacem oratione: *ἀλλ᾽ ἄγε δεῦρο, ἄναξ, ἵν᾽ ἔπος καὶ μῦθον ἀκούσῃς Ἡμέτερον*, cfr. XVI. 442. Add. Cic. Brut. 90, 312. Eodem anno Moloni dedimus operam, ut paullo ante: ad causas et privatas et publicas adire coepimus, in quibus verbis nullam inesse arrogantiam quisque facile perspiciet. Cfr. de senect. 1, 3. Neque ferociter vel impie Ciceronem in commemoratione obitus patris (ad Attic. I. 6, 2.) scripsisse putamus: pater nobis decessit. Nam primum per communicationem, ut ita dicam, Tullius locutus est, indicans, non sibi soli, sed aliis quoque, quibus pater carus fuerat, maximum dolorem illatum esse, qua explicatione admissa non ad emphasin aliquam confugiendum esse arbitror, quam e Perizonii annotatione ad Sanctii Minerv. I. 4, 5. exemplis stabilire solent. Sed frustra ut puto. Deinde ne Cicero vituperetur, quod in re

Tieckius in libro: Dramaturgische Blätter T. I. p. 274. et Walter. Scottus in: The Lives of English Novellist's T. III. p. 102 sq. Add. scriptionem I. M. Heinzii: Anmerkungen über den Gebrauch des Plurals, wenn man von sich selbst redet in Operibus Minor., patria lingua editis, T. I. p. 221-231. et F. A. Eckstenii recitationem: Zur Geschichte der Anrede im Deutschen durch die Pronomina, Halis 1840. habitam, p. 7. et 8. Morem loquendi Goethianum nuper Fr. Guil. Riemerus in commentariis de vita, ingenio et scriptis Viri Summi (T. II. p. 47 s.) illustravit.

moestissima exponenda usus sit tanta brevitate, efficit Abekenii disputatio in libro, quo de epistolis Ciceronis explicandis et commendandis praeclare egit, p. 33. et 34. Neque defuerunt, qui in simili occasione Goethium lacesserent, immo asperius tractarent, quod mortem Augusti filii absentiam dixisset atque in epistolis ad amicos uberiorem eorum, quae sibi in vita privata mala et infausta acciderant, mentionem omisisset. Sane Goethius orbitatem suam intimo pectore persentiscebat, sed hunc gravissimum casum sicut aliorum amicorum mortes ita tulit, ut, quos vivos summo amore amplexus erat, eorum obitum non vulgari atque iterata lamentatione lugendum esse existimaret. Ad poetas reversi videmus numeri singularis et pluralis confusionem, paucis verbis interiectis, multo frequentiorem ut Virg. Ecl. I. 6, 7. O Meliboce, Deus nobis haec otia fecit Namque erit ille mihi semper Deus cet. Ovid. Trist. IV. 10, 119. Tu nos abducis ab Istro In medioque mihi das Helicone locum. Cfr. ibid. II. 79., Fast. I. 258. et Stat. Silv. III. 3, 37-39., quibus comparamus Eurip. Troad. 904. *ὡς οὐ δικαίως, ἢν θάνω, θανούμεθα.* Add. Pflugk. ad Eurip. Androm. 142. Alia exempla Wagner. ad Eleg. ad Messal. p. 65. et Bach. ad Ovid. Metam. V. 494. attulerunt: e Cicerone laudasse sufficiat epp. ad div. V. 12, 1. ardeo incredibili cupiditate, ut nomen nostrum scriptis illustretur tuis. Plura vid. apud Cort. ad V. 14, 4. et Ochsner. ad Olivet. Ecl. Cic. p. 250., ex aliis scriptoribus apud Walch. ad Tacit. Agric. 43. p. 409., Pabst. in Eclog. Tacit. p. 327 s. et Kritz. ad Sallust. Ing. 17, 7. Cfr. Ruddimann. l. c. T. II. p. 8. et 9., ubi idem usum pronom. vester, quoties unum alloquimur, illustravit, de quo praeterea legendus est Gesnerus ad Plinii Epp. X. 20. In cuius viri — Gesnerum intelligo — commemoratione eo libentius finem scribendi facio, quo maiora illius fuerunt merita in poetis Latinis, praesertim in Horatio et Claudiano, emendandis et explicandis. Itaque vehementer opto, ut iuvenes nostri memoriam Gesneri, qui sua aetate omnium bonarum literarum in Germania non modo fuit princeps, sed (Ernestii sunt verba in praefatione Operis Homerici) ingenii felicitate, doctrinae accuratae et exquisitae copia, orationis denique elegantia et dulcedine veterum optimo cuique simillimus, pie atque sancte colant et summa prosequantur reverentia. Nam nulla est dignior ratio, qua memoria virorum animo, moribus, studiis, doctrina insignium a iuvenibus celebrari potest quam laudum, quibus illi vivi exsplenduerunt, admiratio virtutumque imitatio.

Addenda.

p. 16. lin. 13. Exemplis allatis adiiciatur locus Cic. in orat. p. reg. Deiot. 9, 24., in quo *difficiles exitus* ad unum Caesarem referuntur.

p. 21. lin. ult. In loco Iuvenal. IV. 160. non opus est coniectura Marclandi ad Stat. Silv. I. 1, 36. p. 134. ed. Dresd. *superat* p. *suberant*.

p. 22. lin. penult. leg. *arces* p. *arcus*.

p. 27. lin. 12. Add. Marcland. ad Stat. Silv. III. 4, 27. p. 287.

p. 32. lin. 5. E prosariis scriptoribus similiter locutus est Corn. Nepos Pelop. 5, 2. *Persuasit Thebanis, ut — tyrannos expellerent*, quae verba Bremius recte de dominatu in universum (*Oberherrschaft*) intellexit, nam unus modo erat tyrannus, Alexander, ut in Dion. 5, 5. *regios* (i. e. regis Dionysii) *spiritus repressit*. Add. Cic. Verr. II. 55, 137. *aratores* (*der Landbauerstand*), *mercatores*, *navicularii*, coll. §. 149.

Jahresbericht
über
die Königl. Landesschule Pforta
von Michaelis 1840 bis Michaelis 1841
verfafst
vom Rector Dr. Kirchner.

I. Lehrverfassung.
Uebersicht des im verflossenen Schuljahre Geleisteten.

A. Unterricht in den Sprachen und Wissenschaften.
Prima.
Ordinarius der Rector.

In Prima wurde in 29 wöchentlichen Lehrstunden der Unterricht von 8 Lehrern besorgt.

1) *Lateinische Sprache.* 10 Stunden. 1) *Pros.:* Cicero de Oratore. Lib. I. und Lib. III. bis c. 40. 2 St. Rector. — Tacitus Historiar. L. V. Annal. Lib. I. bis c. 12. 2 St. Prof. Fickert. — 2) *Poet.:* Horatius. Im *W.* Carm. L. I, c. 1—33. Im *S.* Epist. L. I, 1—15. nebst Einleitung, schriftlichen und mündlichen Interpretirübungen und metrischen Uebersetzungen. 2 St. Rector. In einer besondern Stunde wurden im *W.* die Captivi des Plautus, 2. Hälfte und Catulli Epithalamium Pelei et Thetidis, im *S.* der Miles gloriosus des Plautus halb gelesen. — 3) Correctur Lat. Aufsätze und Exercitien, nebst Extemporalien und Lat. Disputirübungen. 3 St. 1—3te Ordnung Rector, 4te Ordnung Prof. Fickert.

2) *Griechische Sprache.* 6 St. Prof. Steinhart. *Pros:* Im *W.* Thucydides Lib. IV, c. 41—108. Im *S.* Demosthenes Philipp. I. Olynth. I. 3 St. — 2) *Poet.:* Sophocles. Im *W.* Antigone, zweite Hälfte. Im *S.* Oedipus Col. erste Hälfte, 2 St. — 3) Correctur Griech. Scripta und Extemporalia, nebst Uebungen in der Griech. Versification. 1 St.

3) *Hebräische Sprache.* 2 St. Prof. Steinhart. Lectüre: Im *W.* Psalm 84—97. Im *S.* Josua. c. 1. 3. 4. 6. 10. Grammatik nach Gesenius, §. 93—145. nebst Exercitien. Dabei Wiederholung der früheren Cursen.

4) *Deutsche Sprache.* 2 St. Prof. Koberstein. Uebersicht der Geschichte der Deutschen National-Litteratur, von den ältesten Zeiten bis zum Ende des 16. Jahrhunderts, nach eigenem Grundrisse. Im *S.* Philosophische Propädeutik, nach Matthiae. Dabei Correctur Deutscher Aufsätze und Uebungen im freien mündlichen Vortrage. Hierzu war Prima in 2 Abtheilungen, mit einer besondern Stunde für jede, getheilt.

5) *Religionsunterricht.* 2 St. Prof. Niese. Christliche Religionslehre, nach Schmieders Lehrbuche, Abschn. 3 bis 12. Verbunden mit Lesung des Ev. Johannis im Urtexte, c. 11—21. und schriftlichen Prüfungsarbeiten.

6) *Geschichte.* 2 St. Prof. Wolff. Geschichte des Mittelalters bis zur Reformation, nach Haake's Lehrbuche.

7) *Mathematik.* 4 St. Prof. Jacobi I. A) In der Geometrie in 2 St. Im *W.* Allgemeine Eigenschaften der Polyeder; im *S.* Nähere Betrachtung und Untersuchung

der besondern Eigenschaften einzelner stereometrischer Gebilde. — B) In der Arithmetik in 2 St. Im *W.* die Combinationslehre. Im *S.* die Kettenbrüche. Daneben in jedem Semester Correctur zweier ausführlichern schriftlichen Arbeiten.

8) *Naturwissenschaften.* a) *Physik.* 1 St. Prof. Jacobi I. Im *W.* Beschlufs der Lehre vom Lichte, im *S.* die Lehre von der Electricität. b) Unterricht in der *Botanik*, mit Excursionen verbunden, wurde im *S.* einer Anzahl von Primanern vom Dr. Lieber ertheilt.

9) Eine *Anleitung zum akademischen Studium* nebst Uebersicht der Wissenschaften ward den Abiturienten in besondern Stunden vom Rector ertheilt.

Ober-Secunda.

Ordinarius Professor Dr. Wolff.

In Ober-Secunda wurde in 29 wöchentlichen Lehrstunden der Unterricht von 6 Lehrern besorgt.

1) *Lateinische Sprache.* 11 St. 1) *Pros.:* a) Cic. Oratt. Verr. Act. II. Lib. II. c. 18—48. 3 St. b) Livius Lib. XXVII. c. 9. bis Lib. XXIX. c. 29. 2 St. Prof. Wolff. — 2) *Poet.:* Virgils Aeneis Lib. I—IV. 3 St. Adj. Dr. Keil. — 3) Correctur Lat. Aufsätze, Scripta und Extemporalien, nebst Uebungen in der Lat. Verskunst. 3 St. Prof. Wolff.

2) *Griechische Sprache.* 6 St. Prof. Wolff. *Pros.:* Im *W.* Herodot. Lib. VIII. c. 40. bis zu Ende. Im *S.* Plutarch. Caesar. c. 40. bis zu Ende und Phocion c. 1—3. 3 St. — *Poet.:* Homeri Ilias Lib. XVIII. bis XXI. 2 St. — Correctur Griechischer Scripta und Extemporalia. 1 St.

3) *Hebräische Sprache.* 2 St. Prof. Fickert. Gelesen: Gesenius Lesebuch, Stück 3. 4. und Stück 2. 6. Grammatik nach Gesenius, §. 60—77. 118. Daneben Hebräische Scripta und Vocabeln. Zu Anfange jedes Semesters Repetition des Pensums der vorigen Klasse.

4) *Deutsche Sprache.* 2 St. Prof. Koberstein. Im *W.* ausgewählte Stücke aus ältern und neuern vaterländischen Dichtern gelesen und erklärt. Im *S.* Elemente der Deutschen Verskunst, nach eigenen Heften. — Daneben Correctur Deutscher Aufsätze und metrischer Versuche.

5) *Religionsunterricht.* 2 St. Prof. Niese. Im *W.* Einleitung in die H. Schrift, im *S.* Einleitung in die kirchliche Symbolik, beides nach Schmieders Lehrbuche (Leipzig bei Vogel 1838.) nebst schriftlichen Prüfungsarbeiten.

6) *Geschichte.* 2 St. Im *W.* Römische Geschichte bis zum zweiten Punischen Kriege. Prof. Wolff. Im *S.* von da bis zum Untergange des Abendländischen Reiches, mit geographischen Einleitungen, nach Lorentz Lehrbuche. Adj. Dr. Keil.

7) *Mathematik.* 4 St. Prof. Jacobi II. Die Lehre von den Progressionen und Logarithmen, nebst deren Anwendung. Die Anfänge der ebenen Trigonometrie und der Stereometrie. Daneben Uebung in der eigenen freien Bearbeitung gegebener Lehrsätze und Aufgaben, nach v. Swindens Lehrbuche.

Unter-Secunda.

Ordinarius Professor Dr. Jacob.

In Unter-Secunda wurde in 30 wöchentlichen Lehrstunden der Unterricht von 7 Lehrern besorgt.

1) *Lateinische Sprache.* 12 St. 1) *Pros.:* Cicero Oratt. pro Roscio Amer. pro Ligario. pro rege Deiot. 2 St. Prof. Jacob. — Cicero Epist. sel. nach Matthiä's Ausgabe. Im *W.* Ep. 73—91. 3 St. Adj. Dr. Keil. Im *S.* Ep. 100—110. Ad. Dr. Dietrich. 2) *Poet.:* Im *W.* auserlesene Stücke aus Ovids Fastis. Im *S.* Terentii Andria. 2

St. Prof. Jacob. — 3) Lat. Grammatik, nach Zumpt. Im *W.* die Lehre von den Partikeln c. 65—68. Im *S.* die Syntaxis ornata, c. 84. Ebend. — 4) Lat. Correctur, Scripta, Extemporalia und Uebungen in Lat. Versen. 3 St. Ebend.

2) *Griechische Sprache.* 5 St. Prof. Jacob. *Pros.:* Im *W.* Auserlesenes aus Xenophon Memorab. Lib. I. II. III. Im *S.* Stücke aus Xenophons Hellenicis. Lib. II. und V. 2 St. — *Poet.:* Homer. Odyss. Lib. X. von V. 114. und XI. XII. 2 St. — Correctur Griech. Scripta und Extemporalia. 1 St.

3) *Hebräische Sprache.* 2 St. Prof. Fickert. Anfangsgründe der Hebr. Grammatik, nach Gesenius, §. 1—29. (Elementarlehre) §. 30—33. 35. 37—59. 88. 95. 96. (Formenlehre). Lese- und Schreibübungen. Paradigmata.

4) *Deutsche Sprache.* 2 St. Prof. Koberstein. Im *W.* Grundlinien des etymologischen Theils der Deutschen Grammatik. Im *S.* Uebersicht über die Hauptepochen der Geschichte der Deutschen Sprache. Daneben Correctur Deutscher Aufsätze und Uebungen im mündlichen Wiedererzählen.

5) *Religionsunterricht.* 2 St. Adj. Dr. Dufft. Die Apostelgeschichte und das Evangelium des Matthaeus im Grundtext gelesen und sprachlich wie sachlich erläutert.

6) *Geschichte.* 3 St. Im *W.* Geschichte der Griechen bis zu den Perserkriegen. Prof. Jacob. Im *S.* Griechische Geschichte von den Perserkriegen bis zur Zerstörung Corinths, nebst der alten Geographie der betreffenden Länder, nach Lorentz Lehrbuche. Adj. Dr. Keil.

7) *Mathematik.* 4 St. Prof. Jacobi II. Die Lehre von den Verhältnissen und Proportionen, von den Potenzen und Wurzelgröfsen; die Lehre von der Aehnlichkeit der Figuren und vom Kreise, nach v. Swindens Lehrbuche. Daneben Uebung in der eigenen Bearbeitung gegebener Lehrsätze und Aufgaben.

Ober-Tertia.

Ordinarius Professor Jacobi I.

In Ober-Tertia wurde in 30 wöchentlichen Lehrstunden der Unterricht von 5 Lehrern besorgt.

1) *Lateinische Sprache.* 14 St. *Pros.:* Im *W.* Cicero Laelius. 2te Hälfte. Im *S.* Cato maior. 1te Hälfte. 2 St. Prof. Jacobi I. — Caesar B. civ. Im *W.* Lib. III. c. 61. bis zu Ende. 2 St. Adj. Dr. Keil. Im *S.* Lib. I. c. 1—25. Adj. Dr. Dietrich. — *Poet.:* Ovid. Metam. Erwählte Abschnitte aus den letzten 4 Büchern. 2 St. Im *W.* Adj. Dr. Keil, im *S.* Adj. Dr. Dietrich. — Lat. Grammatik, nach Zumpt. Im *W.* Syntax, cap. 76—83. Adj. Dr. Keil. Im *S.* Formenlehre vom Verbum. cap. 37—60. 2 St. Adj. Dr. Dietrich. — Lat. Correctur von Exercitien und Extemporalien. 3 St. Prof. Jacobi I. — Lat. Scripta nebst prosod. und metr. Uebungen. 3. St. Im *W.* Adj. Dr. Keil. Im *S.* Adj. Dr. Dietrich.

2) *Griechische Sprache.* 5 St. Prof. Fickert. Im *W.* Gelesen Xenophons Cyropädie, Abschnitte aus dem 1. 2. und 3. Buche. Im *S.* Xenophon Anabasis. Lib. 1. bis II. c. 1. — Grammatik nach Buttmann, Einübung der unregelmäfsigen Verba, Wortbildung, Casuslehre, Mittlere Gramm. §. 104—106. 108—120, Vocabellernen, nach Ditfurt. — Correctur der Griech. Scripta und Uebersetzungen ins Deutsche.

3) *Deutsche Sprache.* 2 St. Adj. Dr. Keil. Correctur Deutscher Aufsätze, Declamirübungen, Deutscher Sprachunterricht nach Hoffmanns Neuhochdeutscher Elementargrammatik. Satzlehre §. 145—208.

4) *Religionsunterricht.* 2 St. Prof. Niese. Geschichte des Reiches Gottes; im *W.* die Zeit des neuen Bundes, vorzüglich Christi und der Apostel; im *S.* die Zeit des alten Bundes. Freier Vortrag mit Benutzung der H. Schrift, nach Luthers Uebersetzung; dabei schriftliche Prüfungsaufgaben.

5) *Geographie* und *Geschichte.* 3 St. Prof. Fickert. Im *W.* Geographie und Gesch.

der Europäischen Staaten, mit Ausschlufs der Deutschen Bundesstaaten. Im *S.* Geographie und Geschichte der Deutschen Bundesstaaten nebst der Schweiz, nach Dittenbergers Lehrbuche.

6) *Mathematik.* 4 St. Prof. Jacobi I. In jedem Semester nach summarischer Wiederholung des in der vorigen Klasse Vorgetragenen, aus der Geometrie die Lehre von der Gleichflächigkeit der Parallelogrammen und Dreiecke, nach v. Swindens Lehrbuche; aus der Arithmetik die Division der Buchstabenrechnung und der Anfang der Lehre von den einfachen Gleichungen. Daneben Uebungsaufgaben, besonders geometrische, zur bessern und gründlichern Erfassung des Vorgetragenen.

Unter-Tertia.

Ordinarius Professor Dr. Steinhart.

In Unter-Tertia wurde in 30 wöchentlichen Lehrstunden der Unterricht von 5 Lehrern besorgt.

1) *Lateinische Sprache.* 14. St. *Pros.:* Cornelius Nepos, vita XX—XXV. 2 St. Prof. Steinhart. — Caesar B. Gall. Lib. V. c. 18—VI. c. 18. 2 St. Adj. Dr. Dufft. — *Poet.:* Ovid. Metam. Erlesene Abschnitte aus den 4 ersten Büchern. 2 St. nebst 1 St. prosod. und metr. Uebungen, im *W.* Adj. Dr. Keil, im *S.* Adj. Dr. Dietrich. — Lat. Grammatik nach Zumpt. Im *W.* Syntax, Casuslehre, cap. 69—75. Im *S.* Formenlehre bis zum Pronomen, cap. 5—36. 2 St. Prof. Steinhart. — Lat. Correctur von Exercitien und Extemporalien. 3 St. Prof. Steinhart. Lat. Scripta. 2 St. Adj. Dr. Dufft.

2) *Griechische Sprache.* 5 St. Gelesen Jacobs Elementarbuch. Abschn.: Mytholog. Erzählungen bis Abschn. Geogr. 2 St. — Grammatik nach Buttmann. Formenlehre bis zu den unregelmäfsigen Verbis, nebst Vocabeln aus Ditfurt. 2 St. — Correctur der wöchentlichen Griech. Scripta. 1 St. Im *W.* Prof. Fickert, im *S.* Adj. Dr. Keil.

3) *Deutsche Sprache.* 2 St. Correctur schriftlicher Arbeiten; Declamirübungen; Deutscher Sprachunterricht nach Hoffmanns Elementargrammatik. Erster Theil. Formenlehre. Im *W.* Adj. Dr. Dufft, im *S.* Adj. Dr. Dietrich.

4) *Religionsunterricht.* 2 St. Adj. Dr. Dufft. Die Hauptstücke des Lutherschen Katechismus gelernt und erklärt. Abschnitte aus der H. Schrift nach Luthers Uebersezzung (das 1. und 2. Buch Samuelis) gelesen und erklärt, nebst Auswendiglernen von Bibelsprüchen und Liederversen.

5) *Geographie.* 3 St. Prof. Jacobi II. Im *W.* allgemeine Einleitung und Geographie von Asien und Amerika; im *S.* allgemeine und natürliche Geographie von Europa und Geographie von Afrika.

6) *Mathematik.* 4 St. Prof. Jacobi II. In jedem Semester Einleitung, sowohl in die Arithmetik als Geometrie. Erörterung der auf gemeine und Decimalbrüche ausgedehnten vier arithmetischen Grundoperationen. Die Lehren von der Congruenz der Dreiecke und den unmittelbar sich daran schliefsenden Lehrsätzen und Aufgaben, nach v. Swindens Lehrbuche.

Unterricht in der Französischen Sprache.

Der Unterricht im Französischen, woran in der Regel nur die Schüler der drei obern Klassen Theil nehmen, ist in fünf Klassen eingetheilt, welche eine von dem übrigen Klassensystem unabhängige Versetzung haben.

Erste Klasse. 2 St. Prof. Koberstein. Correctur schriftlicher Arbeiten und Durchgehen von Extemporalien. Daneben gelesen im *W.* Athalie von Racine und aus dem poetischen Theile von Ideler und Nolte, die Stücke von Lafontaine, Gresset, Florian und du Boccage: im *S.* Molière's Malade imaginaire.

Zweite Klasse. 2 St. Prof. Koberstein. Grammatische Uebungen und Correctur der Exercitien nebst Abfragen auswendig gelernter Gesprächsformen in Französischer Sprache. Daneben gelesen im prosaischen Theile von Ideler und Nolte; im *W.* die Stücke von Mably und Thomas: im *S.* von Du Paty und Buffon.

Dritte Klasse. 2 St. Gelesen Charles XII. von Voltaire. Grammatik nach Hirzel. Syntax des Verbi. Einübung der unregelmäfsigen Zeitwörter. Correctur der Exercitien. Im *W.* Prof. Koberstein; im *S.* Adj. Dr. Dufft.

Vierte Klasse. 3 St. Adj. Dr. Dufft. Weitere Einübung der Formenlehre. Die Lehre von den Fürwörtern, nach Hirzel. Gelesen Guillaume Tell v. Florian, im ersten Buche. Dabei wöchentliche Exercitien.

Fünfte Klasse. 2 St. Formenlehre, erster Cursus, bis zum unregelm. Verbum, nach Hirzel und Leseübungen. Im *W.* Adj. Dr. Dufft, im *S.* Adj. Dr. Keil.

Verzeichnifs der von Michaelis 1839 bis Michaelis 1840 in Prima und Secunda aufgegebenen Themata zu freien Ausarbeitungen.

a) Im Lateinischen (wobei zu bemerken, dafs die Aufgaben fast alle aus dem Kreise des Gelesenen oder Vorgetragenen genommen und für die Bearbeitung die nöthigen Andeutungen und Nachweisungen zu den Vorstudien gegeben waren.):

I) *Prima. Erste Abtheilung.* 1. De Ciceronis prudentia, constantia et probitate in Verris accusatione patefacta. — 2. Ars fingendi pingendique quibus causis apud Graecos praecipue culta et perfecta esse videatur. — 3. Cn. Pompeius num Magni nomen recte gesserit. — 4. Q. Luctatius Catulus princeps senatus oratione apud populum legem C. Manilii tr. pl. de imperio contra Mithridatem ad Cn. Pompeium deferendo dissuadet. — M. Porcii Catonis Censorii laudatio in eius funere habita a M. Catone Saloniano filio. — 6. In Antigona fabula utrum primas partes ipsi Antigonae an Creonti Sophocles tribuerit. — 7. M. Tullius Cicero oratione contra Metellum tr. pl. apud populum habita, propter coniuratos supplicio affectos se defendit. — 8. L. Sergius Catilina et Alcibiades inter se comparantur. — 9. Quibus causis factum esse videatur, ut Sophocles tragoediae Graecae principatum adeptus sit. — 10. De consuetudinis, quae Horatio cum Maecenate et Augusto fuerit, ratione ac conditione.

II) *Prima. Zweite Abtheilung.* Im Sommer 1841. (Im Winter war diese Abtheilung mit der ersten vereinigt.) 1. Quibus bellis Romani Gallos devicerint. — 2. Virgilius qua ratione Homerum imitatus sit.

III) *Secunda superior.* 1. De Areopagi praestantia — 2. Servius Tullius rex quam sapienter egerit in constituenda republica Romanorum. — 3. Aristides cur Iustus appellatus sit. — 4. Quae causae Graecis primum bellum attulerint, quod adversus Persas gesserunt.

b) Im Deutschen.

1) *In Prima.* 1. Wie hat man die Worte Göthe's (Erwin und Elvire I. 2.) zu verstehen: „*Es fehlt der Mensch und darum hat er Freunde.*"? 2. *a*) Rede: In wiefern kann die Vergegenwärtigung der Geschichte der Pforta ihren Zöglingen zum Segen gereichen? Mit dem Motto aus Göthe's Tasso: „die Stätte, die ein guter Mensch betrat, ist eingeweiht; nach hundert Jahren klingt sein Wort und seine That dem Enkel wieder." *b*) Schilderung des Characters des Pylades in Göthe's Iphigenie. 3. *a*) Welches ist die Empfindung, welche dem „Mignon" überschriebenen Gedichte Göthe's zu Anfang seiner Balladen zum Grunde liegt; wie ist diese Empfindung darin entfaltet; welcher Fortschritt der Darstellung ist in den drei Hauptgliedern des Gedichtes nachweisbar; und wie entspricht ihr endlich auch die metrische Form? *b*) Wie hat

der Dichter des Götz von Berlichingen dafür gesorgt, dafs uns der Schlufs des Dramas nicht blofs mit Trauer und Wehmuth erfüllt, sondern uns zugleich tröstet und erhebt? *c*) Wenn uns Göthe's Götz von Berlichingen ein lebenvolles Gemälde von dem Zeitalter des Helden giebt, welche Stellung und Bedeutung hat darin der Bruder Martin? 4. *a*) Welches ist in dem Göthe'schen „Bergschlofs" überschriebenem Gedichte der Grundgedanke, wie ist er im Besondern ausgeführt, und in wiefern entsprechen sich die Haupttheile, worin sich das Ganze zerlegt? *b*) Welcher Unterschied der Gedankenform ist in den beiden Gliedern des Göthe'schen Spruchs: „Geniefse, was der Schmerz dir hinterliefs! Ist Noth vorüber, sind die Nöthe süfs?" Nebst weiterer Ausführung seines Inhalts. 5. *a*) Läfst sich das unfreundliche Benehmen Antonio's bei seinem ersten Zusammentreffen mit Tasso in Göthe's Schauspiel rechtfertigen oder wenigstens entschuldigen? *b*) In wiefern läfst sich die grofse Empfänglichkeit der Deutschen für die Einflüsse des Auslandes sowohl auf die Formen des geselligen Lebens als auch auf die Litteratur aus der Lage und Geschichte des Landes erklären? 6. *a*) Wie hat man nach dem ganzen Zusammenhange, worin sie stehen, die Worte der Lady Macbeth zu nehmen, die sie (I, 5) an ihren Gemahl richtet: „die Zeit zu täuschen scheine so wie die Zeit?" *b*) Was will Göthe mit seinem Spruch sagen: „Sprichwort bezeichnet Nationen, mufst aber erst unter ihnen wohnen"? 7. *a*) Was hat Schiller damit beabsichtigt, dafs er in seinem Wilhelm Tell gegen das Ende den Johannes Parricida auftreten läfst? *b*) Angabe der Gedankengliederung in der Rede, die Shakspeare in seinem Julius Caesar den Antonius an das Volk halten läfst, nebst Darlegung der Gründe, warum der Redner grade diesen Weg einschlägt, um zu seinem Ziele zu gelangen. 8. Worin besteht insbesondere der Reiz und die Belehrung, die das Studium der vaterländischen Geschichte vor dem der Geschichte jedes andern Volkes voraus hat?

2) *In Obersecunda.* 1. Metrische Darstellung einer beliebigen Sage. 2. Die Fabel von Lessing's Nathan dem Weisen in eine Erzählung gebracht. 3. Characterschilderung des Buttler nach Schiller's Wallenstein. 4. Woraus läfst sich erklären, dafs die Gastfreundschaft, die unsere Vorfahren nach dem Zeugnifs des Tacitus in so unbeschränktem Maafse übten, mit der Zeit immer mehr aus dem Leben geschwunden ist? 5. In wiefern läfst sich der Grundsatz: „Wo mir's wohlgeht, da ist mein Vaterland" rechtfertigen, und in wiefern ist er verwerflich? 6. Autharis Brautwerbung, nach der Gebrüder Grimm deutschen Sagen in ein erzählendes Gedicht verwandelt. 7) Welcher Vorzüge geniefst der Gebirgsbewohner vor dem Bewohner des flachen Landes? 8. Kann der Neidische wohl je wahrhaft glücklich sein?

3) *Untersecunda.* 1. Schilderung des Aeufsern und Innern der Kirche zu Pforta in einem Briefe. 2. Welches sind die vornehmsten Freuden des Herbstes auf dem Lande? 3. Ueber die Annehmlichkeiten des Greisenalters nach Cicero's Cato maior. 4. Welchen Sinn hat das Sprichwort: Morgenstunde hat Gold im Munde? 5. Günther's Brautfahrt, dem 4ten der von Simrock übersetzten zwanzig Niebelungenlieder nacherzählt. 6. Beschreibung des Frühlings-Bergtages, als Brief. 7. Was fesselt den Menschen besonders an den Ort, wo er geboren und erzogen ist? 8. Der Kampf mit dem Drachen von Schiller als prosaische Erzählung.

B. Unterricht in den Künsten.

a) In der Vocal-Musik

wurde in sechs ordentlichen und mehreren aufserordentlichen Lehrstunden von dem Cantor und Musik-Director Kötschau Unterricht ertheilt.

1) 1 St. *Erste Singkl.* Männergesang. 1. Abth.

2) 1 St. *Zweite Singkl.* Männergesang. 2. Abth.
3) 1 St. *Dritte Singkl.* Männergesang. 3. Abth.
4) 1 St. *Vierte Singkl.* Knabengesang. 1. Abth.
5) 1 St. *Fünfte Singkl.* Knabengesang. 2. Abth.
6) 1 St. die Discantisten und Altisten vom *Chore.*
7) In besondern Stunden der ganze *Kirchenchor*, welcher aus Sängern besteht, die durch Stimme und Geschick dazu geeignet sind.

b) In der Tanzkunst und Gymnastik.

Am Tanzunterricht, welchen der Tanzlehrer Roller leitet, nehmen die sämmtlichen Zöglinge der Anstalt Theil, die zu diesem Behufe, je nach dem Grade ihrer Fertigkeit, in 12—13 Abtheilungen gesondert sind, wovon jede wöchentlich Eine Lehrstunde hat. Die Uebungen sind nach einer methodischen Stufenfolge, von den einfachen Anfängen bis zu den schwierigeren Kunstleistungen geordnet, wobei in den untersten Abtheilungen die Regeln des äufseren Anstandes, in der Haltung und den Bewegungen des Körpers, als Grundlage des gesammten Tanzunterrichts, gelehrt und eingeübt werden.

Die *gymnastischen Uebungen*, an welchen sämmtliche Zöglinge Theil nehmen, leitete während des Sommerhalbenjahres, und bis in den Spätherbst, Dr. Lieber aus Naumburg, in bestimmten wöchentlichen Stunden. Im Winterhalbenjahre gab derselbe den Primanern Anleitung in Voltigirübungen.

c) In der Zeichnenkunst

wurde in sechs wöchentlichen Stunden von dem Zeichnenlehrer, Professor Oldendorp, unterrichtet.

Die Schüler von Ober- und Unter-Secunda, für welche dieser Unterricht bestimmt ist, wurden in drei Klassen getheilt, von denen jede zwei Stunden hatte. So weit es die Localverhältnisse zuliefsen, ist bei demselben das von Einem Hohen Königl. Ministerium unterm 14. März 1831 erlassene Reglement in Anwendung gebracht, und namentlich auch in den Gesetzen der Perspective Anweisung ertheilt worden.

d) In der Schreibekunst.

Vier wöchentliche Stunden, von dem Kirchner und Schreibelehrer Grässner ertheilt.

Dieser Unterricht, bei welchem die Deutschen und Lateinischen Vorschriften von Heinrigs, die Griechischen von Grashof benutzt werden, ist für die Schüler von Ober- und Unter-Tertia bestimmt, welche in vier Abtheilungen, wovon jede wöchentlich Eine Lehrstunde hat, getheilt sind. Die schlechten Schreiber sind gehalten, an beiden Lehrstunden ihrer Klasse Theil zu nehmen; die guten können vom Klassenlehrer ganz dispensirt werden.

C. Examina und Privatbeschäftigungen der Zöglinge.

Zu fleifsiger Wiederholung ihrer Lectionen und zu eigenen schriftlichen Ausarbeitungen in allen Hauptfächern des gelehrten Unterrichts, hauptsächlich aber in der Lateinischen und Griechischen Sprache, sowohl in Versen als in Prosa, geben den Alumnen die bestehenden grofsen Prüfungen am Schlusse jedes Halbjahres Veranlassung, wo sie erst anderthalb Wochen lang die schriftlichen Aufgaben unter Aufsicht ausarbeiten, dann in der folgenden Woche zwei Tage lang mündlich geprüft und in den vier folgenden nach den Ergebnissen des Schulhalbjahres und nach dem Ausfall dieser schriftlichen Arbeiten öffentlich im Kreise der Lehrer und Lernenden einzeln censirt werden, worauf dann die allgemeine Censur und Versetzung erfolgt.

Dafs aufserdem philologische Privatstudien und Privatarbeiten von mancherlei Art, theils in schriftlichen Ausarbeitungen in Prosa und Versen, theils in Privatlectüre von Klassikern, namentlich des Cicero, Virgil, Horaz, Homer und Sophocles bestehend, betrieben werden, gehört

zu den Forderungen der Anstalt an ihre Zöglinge; insbesondere sind zu diesem Behuf die sogenannten *Studientage* (in der Regel zwei in jedem Monat) eingerichtet, an denen zum Zweck der Selbstbeschäftigung der Alumnen aller öffentliche Unterricht ausfällt. Die Wahl der philologischen Privatarbeiten bleibt in der Regel den Alumnen überlassen, doch werden dieselben von den Lehrern controlirt und zu dem Ende die Adversarienhefte, welche von Unter-Secunda an üblich sind, von Zeit zu Zeit von den Klassenordinarien durchgesehen und beurtheilt. Die jüngeren Alumnen in Ober- und Unter-Tertia werden in den sogenannten *Lesestunden* täglich von 4–5 Uhr, jeder derselben einzeln von seinem Stuben- und Tischobern in der Lateinischen und Griechischen Grammatik, im Uebersetzen und im Anfertigen Lateinischer und Griechischer Exercitien und Lateinischer Verse geübt und unterrichtet. Es wird zu diesem Zwecke eine von hier aus besorgte kleine Lateinische Chrestomathie von poëtischen und prosaischen Stücken klassischer Autoren benutzt, unter dem Titel: Crustula, sive Excerpta e variis scriptoribus in usum scholae Portensis. Lipsiae 1826. 8.

II. Verordnungen der vorgesetzten hohen Behörden *von Michaelis* 1840 *bis dahin* 1841.

1) Unterm 9. December v. J. ward vom Königl. Provinzial-Schulcollegium eine auf Allerhöchste Cabinets-Ordre an das Staats-Ministerium vom 16. Juli 1840 gegründete Verfügung des Königl. Ministerii der geistlichen etc. Angelegenheiten vom 10. September 1840 in Abschrift eingesandt, zufolge welcher die Collatur über die von den Königl. Sächsischen Städten durch den Fiscus erworbenen 34 Königl. Freistellen in Schul-Pforta beim Königl. Provinzial-Schulcollegium verbleiben, die erledigten Stellen aber nur an Individuen verliehen werden sollen, welche ihm halbjährlich durch eine in den Ministerien der Justiz, des Innern und der Finanzen zusammenzustellende, von dem Minister der Unterrichtsangelegenheiten ihm zuzufertigende Uebersicht namhaft gemacht worden sind, indem es der Allerhöchst ausgesprochene Wille Sr. Majestät ist, „daſs durch diese Stellen wohlverdienten Personen, insbesondere aber den Beamten aller Ressorte, ohne Beschränkung auf irgend „eine Provinz, bei der Erziehung ihrer Söhne eine Hülfe gewährt werden soll."

2) Unterm 19. Januar c. wird vom K. Provinzial-Schulcollegium ein auf die hiesige Lehreinrichtung bezügliches Gutachten über einen Vorschlag der Berliner Universität, die Modification des Anfangs und Schlusses der halbjährlichen akademischen Lehrcursen betreffend, eingefordert, welches unterm 7. Februar eingesandt ist.

